RES LEMNICAE

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHORUM AUCTORITATE

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS OBTINENDIS

DIE XXXI M. AUG.

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS RHODE

SEMINARII REGII PHIL. NUPER SODALIS.

VRATISLAVIAE
TYPIS BREHMERII ET MINUTHI.

MDCCCXXIX.

VIRIS

AMPLISSIMIS

LUDOVICO WACHLERO

FR. PASSOWIO

C. E. CHR. SCHNEIDERO

PRAECEPTORIBUS MEIS.

THESES.

I. Iliadis cantus 18 vss. 356 — 368 ab auctore hujus rhapsodiae alieni videntur.

II. Variae praepositionis „pro“ significationes ad primariam loci redeunt.

III. Verba Pausaniae 1, 1, 4. extr. *οὐκ ἂν τοῦτό γε ὁ Μῆδος εἴη λελωβημένος* contra Siebelisium ita acceperim, ut negetur haec statua violata esse ab Medo.

IV. Tac. Histt. 3, 16 non erat, cur Ernestius offenderet in voce „ultimus.“

VITA.

Natus sum Vratislaviae anno hujus saeculi sexto, die 15 mensis Januarii, parentibus Carolo et Amalia e gente Krakeriana. Quumque ipsius amantissimi patris institutione uti contigisset, factum est, ut haud amplius quadriennium et sex menses frequentarem hujus urbis gymnasium Elisabethanum: quod sane exiguum temporis spatium nihil impedivit, quin magistrorum, quibus sum gavisus, quanta esset in erudiendis juvenibus cura atque diligentia, penitus cognoscerem. Plurimum tamen debeo *Etzlero* et *Menzelio*, qui nunc est a consiliis ecclesiasticis, viro Reverendissimo, quorum utriusque doctrina adjutus egregie, cum prima nota discessi, qui litterarum in campo latius paulo excurrerem. Atque in alma hujus urbis Academia nomen dedi Philologiae, quae quomodo exerceri debeat, praeclare docto mihi a *Passowio* et *Schneidero*, Viris Clarissimis, licuit per insignem utriusque clementiam, uno anno exacto interesse Seminarii Philologici exercitationibus: unde dubius sum utrum humanitatem Duumvirorum majorem an subtilitatem atque elegantiam judicem. Quorum nunc fructuosissimis scholis ereptus, minus tamen id doleam, si quando gratissimum meum erga eos animum non verbis sed re testificari fuerit mihi concessum. Idemque mihi exopto *Wachleri* causa, senis ut celeberrimi ita in me quam liberalissimi, id quod tum alias saepe unus omnium maxime sum expertus, tum inprimis, ubi domesticis, quas instituere solet utilissimas, scholis meae qualiscunque opellae consecrandae copia mihi data fuit.

Quae ad monographias ut summis ita dignis quidem laudibus efferendas cuivis vel mediocriter in studio litterarum versato facile sint in promtu, iis omissis, ne videar cocta recoquere; nunc paucis exponam, quibus rebus ad hanc potissimum suscipiendam provinciam sim compulsus. Ac primo quidem ingenue fateor me non aliud quidquam movisse, nisi quod campus adeo esset rudis atque incultus, unde, quae est natura agrorum aratro nondum subactorum, vel exigua opera me laeti quid evocaturum esse confiderem: sed quam ante aggrediendum opus conceperam spem, nova me multa esse deprehensurum, de hac dejectus, posteaquam vidi alia ab aliis jam tractata, habebam id tamen solatii, quo ad incepta perficienda erigebar, quod discerpta ac disjecta illa membra si adhibita crisi in unum quoddam corpus collecta, iisque quae ipse vidissem primus, quasi distincta atque exornata in vulgus emitterem, facturus operae pretium mihi videbar. Nam si qua alia insula regiove, *Lemnus* profecto est experta, quam sit immanis ac terribilis vis naturae, quandoquidem non solum montem vidit in ipsius ora flammas eja-

culantem, sed etiam partem, in qua ille erat, undis avulsam atque suppressam una cum vicina insula *Chryse*. Neque porro antiquissimis illis temporibus, in quibus obtinet Mythus, rerum et varietate et miraculis quae nostrae antecellat, inveniatur ulla *Archipelagi* insula: quibus in fabulis enarrandis agere credulum quam sciolum malui, nec nisi iis, quae essent praeter captum humanum, subesse aliquid suspicatus sum, mecum reputans, quod acuminis deforet, diligentia aliquomodo compensatum iri. Historiam deinde percurrendam subii, opinione fretus, cujus aetate vigentis accuratior quaedam notitia nos attigerit, eum consenescentem quoque ad nos pertinere; praesertim quum tot tantaeque coloniae optime florentes matris fractae ac debilitatae memoriam denuo semper renovarent atque redintegrarent. Neque aliter ac mythicis tempora vere historica, ubertate sacrorum adeo frequentium tantum scriptorum atque artificum defectum exaequari putaveris. Cujus *ἀμουσίας*, nisi omnia temporis injuria perierunt, sive tantae imperii vices sive penuria insulae sive aliud quidpiam fuerit in causa, nobis rei aequilibrio satis approbato nunc ad ipsam descriptionem accedere licet.

DESCRIPTIO.

Sita est *Lemnus* latitudinis 39° 52′ 55″, indicante *Choiseul-Gouff.* in ea, quam exhibuit *D. de la Malle* in: Mémoire sur la Déstruction de l'île de Chryses etc. [1]), tabula geographica. Ad *Melanem* sinum Scylax [2]) *Lemnum* sitam esse ait: sed, siquidem tabulis est fides habenda, minus hoc accurate. *Dappero* auctore [3]) *Lemnus* distat a *Tenedo* quatuor Germanicis milliariis, quorum unum, computante *Dapp.*, conficiunt quatuor Romana, Occidentem versus; ab *Lanio* insula septem fere Orientem versus; ab *Hellespontico* freto octo ad Mesolibem; a *Thracia* tantundem fere spatii ad Septentrionem; ab *Imbro* quinque vel sex, a *Samothrace* quinque mill. ad Africum; ab *Atho* denique (*Monte Santo*) circa decem Euronotum versus [4]). *Belon.* affirmat, prospero afflante vento minus quatuor diebus *Constantinopoli Lemnum* nave perveniri. *Plin.* [5])

---

[1]) Annales des Voy. de la Géogr. et de l'Hist. V. 9. p. 5. seqq.

[2]) p. 28. ed. Huds.

[3]) Descript. insular. Archip. p. 242.

[4]) Plurimarum singularium rerum etc. observv. 1, 24. in.

[5]) 4, 12, 13.

insulam ab *Imbro* viginti duo M. P. abesse ait, ab *Atho* 87., unde *Plut.* [1]) septingentis stadiis; Solin. [2]) 86. M. P. remotam dicit. Sed repugnant *Ap. Rh.* [3]) Schol. et *Eust.* ad *Il.* [4]) *Dapp. Büsching.* Refert enim *Eust.* cum Sch. ad *Il.* [5]) et *St.* s. v. *Ἄθως*, ad 300 tantum stadia *Athus* montis umbram porrigi, quod spatium mirum quantum abhorret a *Plut.* 700 st. et *Plin.* cum *Sol.* 87. vel 86. M. P., quorum singula aequant octona Olympica stadia. Apollon. autem [6]) intervallum, quo dirimitur *Lemnus* ab *Atho* definit his: *Ἡ (Ἄθω κολώνη) — τόσσον ἀπόπροθι Λῆμνον ἐοῦσαν, Ὅσσον ἐς ἔνδιόν κεν ἐΰστολος ὁλκὰς ἀνύσσαι κ. τ. λ.*, quod idem spatii interjectum Graeci alias vocant *προαριστίδιον πλοῦν*, ut saepe *Scyl.*, qui quantae longitudinis statuat illum cursum, docet locus p. 30.: *λογιζόμενος, ὅσαι γεγραμμέναι εἰσὶ νύκτες, ἀντὶ τούτων ἡμέρας, καὶ ὅπου στάδιοί εἰσι γεγραμμένοι, ἀντὶ τῶν φ' σταδίων ἡμεραῖον τὸν πλοῦν.* Quacum ratione prorsus convenit *Theophili* ap. *Ptol.* [7]): *καὶ τοῦ Θεοφίλου τούτου νυχθήμερον φόρον πλοῦν χιλίων ὑποτιθέμενος σταδίων.* Unde sequitur, *προαριστίδιον πλοῦν* 250 stadiis perfici, ferentibus ventis; et differt *Scylacis Theophilique* ab *Apoll.* calculo haud amplius 50 stadiis: quae discrepantia facile fertur tum ob fluctuationem, quae omnino est in locorum intervallis dimetiendis ita, ut itinerum longitudine distantiae finiantur; tum quia sermo poeticus vetuit *Apoll.*, quantum distet

---

[1]) De facie in orbe lunae T. 9. p. 694. R.
[2]) 17.
[3]) 1, 602, 3.
[4]) XIV. 229.
[5]) XIV. 229.
[6]) 1, 602. 3.
[7]) 1, 9.

ab *Atho Lemnus*, ad amussim describere, id quod etiam significaturus fuit addito κεν post: ὅσσον ἐς ἔνδιον. Denique *Dapp.*, qui *Lemnum* ab *Atho* remotam dicit 10 fere mill. Germ. seu 40 M. P., et ipse contra *Plin.* et *Sol.* facit, quum 300 stadia Ol. respondeant 37500 P. atque ita intervallorum differentia minor sit 300 P. Ex quibus omnibus *Apollonio* potius et qui cum eo faciunt, assentires, nisi *Büschingius* in Geogr. [1]) auctor esset, ad optimas tabulas *Athon* a *Lemno* abesse 55 mill. Italicis: in qua definitione acquiescendum, dum recentior quaedam idque accurata rei exploratio aliud quid nos docuerit. Neque enim, quod nuntiat *Chandler.* in itinere de Asia minore conscripto, insulam ab *Atho* 87 mill. distare, a sententia nos deducere debeat: verum nil nisi *Plin.* secutus videtur.

Ad ambitum quod attinet, ponit *Lemnum Scylax* loco decimo quinto [2]) et *Pl.* l. l. circuitu eam patere ait 112 M. P., a quo non adeo abhorret *Dapp.* l. l., qui ejus ambitum in 25 Germ. mill. i. e. 100 M. P. definit, docens nos ex *Bel.* [3]), insulam magis in longitudinem i. e. ab Oriente Occidentem versus, quam in latitudinem porrigi. Quocum facit *Van Kingsbergen* in descr. *Archip.* [4]), referens, a Meridie Septentrionem versus insulam tria tantum milliaria longam esse. Thracicarum maxima est.

Forma insulae est quadrata, cujus singuli anguli singulas spectant coeli plagas [5]), excepta una Orien-

---

1) T. V. p. 416.
2) p. 56.
3) c. 25.
4) p. 71 — 83. a Spreng. vernacule redditae.
5) Van Kingsbergen in descr. Arch. a Sprengelio vernacule reddita p. 71 — 83.

tis regione. Atque in Septentrionem maxime vergit promontorium, quod nunc vocant *Blava*, cui nomini in *Choiseulii* tabula nostram insulam exhibente appictum est *Hermaeum* promontorium, cujus rei auctores habuit procul dubio et *Aeschylum* in *Agam.* [1]), ubi commemoratur *Ἑρμαῖον λέπας Λήμνου*, et *Sophoclem* in *Phil.* [2]): *Ἕρμαιον ὄρος.* Et proprium hoc illius montis fuisse vocabulum ut credam, movent me tum alia ejusdem fere nominis loca, ut *Hermaea* promontorium, cujus in regione *Carthaginiensium* positi mentionem facit *Strabo* [3]), et *Hermaea* insula, quam inter *Sardiniam* et *Corsicam Ptolemaeus* memorat jacentem; tum quod *Aeschyli* locus flagitat montis accuratiorem aliquam designationem, quam quae inest epitheto, si ornandi tantum gratia appositum fingimus. Denique haud ab re fuerit protulisse *Mercurium Imbramum* vel *Imbrum*, quacum insula Lemno intercedebat sacrorum affinitas. Jam vero ex *Philoctetae* loco quum appareat, vicinum ipsi fuisse *Hermaeum* montem, *Philocteten* autem in Orientalis orae parte Septentrionali habitasse arguant omnia: non adeo a vero abhorreat, si quis promontorium *Blava* olim *Hermaeum* dictum existimet. Est autem secundum *Choiseulii* insulae delineationem *Hermaeum* mons extremus in mare procurrens.

Orientem versus testibus *Stephano Byz.* s. voce *Χρύση* et *Eustathio* ad Il. [4]) erat *Chryse* promontorium circa *Hephaestiam* urbem positum: cujus et

---

[1]) v. 274 ed. Well.
[2]) v. 1459 ed. Brunck.
[3]) 7, p. 834.
[4]) I. 38.

insulae *Chryses* fluctibus oppressarum [1]) reliquias *Choiseulius* sub aquis detexisse aït brevia quaedam maris et scopulos exiguo intervallo inter se disjunctos, quo loco Orientale *Lemni* promontorium et insulam *Chrysen* fretum angustum interfluxerit. Australe promontorium audit *Sancti Nicolai*, Occidentale *Palaeo Castro*.

Fluminibus insula prorsus caret, et fontes tantum cum rivis ibi inveniuntur [2]).

Altissimi montes oram *Macedoniae* spectant, docente *Dappero* [3]). Ac reliquos quidem, quos recentiores viatores commemorant alii aliter nuncupantes, a consilio absit nominatim afferre, verum subsistamus in duorum mentione facta, *Mosychlum* dico et collem, ubi terram *Lemniam* effodiunt: quorum hunc ad locum, quo agetur de terra *Lemnia*, ablegamus, alterum, postquam de eo doctissime disputavit *Ukertus* in Ephemm. Geogrr. [4]) praeeunte *Buttmanno* in Museo Litterarum Antiquitatis [5]) paucis licet absolvere, si summam illius commentationis afferimus hanc, montem ignivomum, qui inde ab antiquissimis temporibus ultra *Hephaestiam* Orientem versus inveniebatur, una cum *Chryse* insula ejusdem nominis promontorio imis radicibus facile annexa undis esse obrutum eumque casum probabiliter admodum referri ad quartum fere saeculum a. Chr., quum jam *Apollonius Rhodius*, rerum *Lemnicarum* accuratissimus enarrator, *Mosychlum* prorsus sileat, utpote qui illo tempore parum videretur

---

1) Pausan. 8, 33, 2.
2) Belon. in Observatt. c. 32.
3) p. 243.
4) V. 39. p. 361. sqq.
5) V. 1. p. 195. sqq.

aptus, ut cum successu aliquo in poëmatis ejus mentio fieret. Quorum unum hoc nobis minus sufficiat; sive enim montis illius descriptio nimium esset contrita sive aliud quid ab ea ipsum deterruerit: nullo modo hinc colligi debet, *Apollonii* jam aetate *Mosychlum* undis haustum fuisse: immo si quis argutius quam verius ratiocinetur, inde quod praeter *Eratosthenem* nemo inter *Alexandrinos Mosychli* mentionem injicit, tunc nondum eum deletum judicet, quippe quo ut praesenti etiamnum ac satis cognito abstinerent remotorum potius atque absconditorum studiosi ac venatores. Quam ob rem malim ita statuere, *Mosychlum* diu ante *Galeni* tempora abolitum; quum de ipsius interitu ab incolis eum adeo nihil audiisse appareat; quem autem [1]) spectasse ait collem circa *Hephaestiam*, *Mosychlus* esse nequeat, utpote quem *Antimachus* [2]) describit *ἀκροτάταις ὄρος κορυφῇσι* et Valerius Fl. [3]):

„Ventum erat ad rupem, cujus pendentia nigris
„Fumant saxa jugis.“

Ceterum a *Mosychli* flamma videtur derivanda proverbialis dictio: *Λήμνιον πῦρ*, quam laudant *Suidas* et *Photius* in lexicis, quaque significatur ignis vehemens atque edax. Hinc in Arist. Lys. [4]) quidam, cujus in os batillo inflato flamma cum vapore vehementius ingruunt, *κᾄστὶ*, inquit, *Λήμνιον τὸ πῦρ τοῦτο πάσῃ μηχανῇ*; eodemque modo intelligendus videtur locus in Lycophronis Cass. [5]), ubi *Cassandra* oracula, quae de *Hecubae* somnio de torre ediderat

---

[1]) De simpl. med. fac. 9. p. 246. ed. Chartr.
[2]) Ed. Schellenberg. fr. 26.
[3]) 2. 332. 33.
[4]) v. 299.
[5]) v. 227.

Aesacus, contemta deplorans exoptat: „utinam una sorte unam et alterum [*Hecubam* et filium] igni *Lemnio* [*Λημνάῳ πυρὶ*] combussisset [*Priamus*].“ Etenim hic non de igne *Lemni* invento, quod aperte falsum voluit *Tzetzes* ad h. l., nec de Vulcano insulae praeside cogitandum, id quod paululum langueat; verum, quo magis omnia essent tuta et provisa, vehementissima illos flamma absumendos fuisse indicat. Similiter v. 462. *Ajacem* vocat *Λήμνιον*. Ferebatur etiam proverbium: *Λήμνιον βλέπειν*, quod explicant *πυρῶδες*, et ad *Lemnium* ignem a Vulcano proficiscentem referunt *Hesychius* s. v., *Michael Apost.* [1]), quum *Eustathius* ad Il. [2]) eo utatur ad incolarum comprobandam ferociam. Restat memorandum quod *Aeschylus* et qui illum secutus est *Attius* in *Philoctetis* suis *Prometheum* finxerunt e *Mosychlo* ignem clepsisse [3]).

Acesam regionem, qua in *Choiseulii* tabula insulam Orientem versus terminatam videmus, a *Philotecta* ita vocatam esse, narrat *Philostratus Her.* [4]) Quum enim per illud, quo Graeci ad Trojam pugnabant, tempus una cum *Euneo* insulae domino parvas expugnasset insulas, Cares, a quibus obtinebantur, expellens: hujus societatis mercedem *Lemni* partem ei obtigisse, quam *Philoctetes*, quia in hac insula curatus esset, *Acesam* appellaverit. Est autem hic mythus serioris originis, quippe quem ignorant prorsus et *Homerus* et *Sophocles*, neque omnino ullus ad *Philostratum* usque auctor commemo-

---

1) 11, 99.
2) I, 593.
3) Cic. Tusc. 2, 10, 23. Herm. Opuscc. T. 3. p. 102. v. infra.
4) p. 703.

rat: quare totam illam narrationem fictam arbitror, fortasse ad celebrandam vim terrae *Lemniae*, qua statim dicitur *Philoctetes* consanuisse. Et *Acesae* quidem nomen, si erat antiquius, ab ipsa terra facile ortum traxisse proterat. Ceterum quae pars insulae fuerit *Acesa*, e loco l. non apparet: itaque opus erat, ut in tabula signum aliquod dubitationis apponeretur, omissum a Gallo haud rectius quam in *Euboea* Septentrionali orae attributa, de qua *Strabo* [1]) haec tantum nuntiat, *Lemni* quoque fuisse *Euboeam* locum [τόπος ἦν Εὔβοια]: quare ne illud quidem recte factum, ut *Euboeam* tanquam regionem in tabula denotatam inveniamus. Ceterum quin sit ab iisdem condita *Eretriensibus*, quos de *Corcyra* pulsos a *Chersicrate Corinthiacae* coloniae duce patriam repetiisse indeque quum vi arcerentur, itinere in Thraciam converso *Methonen* occupasse narrat *Plut.* [2]), dubitare non licet. Quumque *Chersicratis* adventus fuerit Ol. 11, 2. [3]), apparet post illud demum tempus exstitisse *Lemni Euboeam*.

De reliquis, quae olim in insula exstabant, locis nihil ad nos pervenit praeter duarum urbium, unde nomen tulit διπόλεως, mentionem. Sunt autem *Myrina* et *Hephaestia*, quarum illa ad Occidentem, haec ad Orientem vergebat [4]). *Myrina* etsi alias ubique scribitur, in *Etymol. M.* et apud *Eustathium* ad *Il.* [5]) per duplex ν exaratum cernitur: id quod minime imitandum et nescio an solum e significandi studio, syllabam esse producendam, or-

---

[1]) 10, p. 449.

[2]) Quaest. Gr. 11.

[3]) V. Pflugk. Rerum Euboicarum Spec. pag. 23.

[4]) Galen. l. l.

[5]) XIV, 230.

tum. Nomen habet auctore Scholiasta ad *Ap. Rh.* [1]) a *Myrina*, *Thoantis* uxore, *Crethei Iolcorum* regis filia: unde facile intelligitur, cur omnia, quaecunque *Argonautis Lemni* accidisse feruntur, *Myrinae* non *Hephaestiae* acta cernimus. *Lemnum* vero eandem appellatam esse antiquissimo tempore, ut *Mannertus* vult, non discimus ex Homero [2]), ubi leguntur: *Λῆμνον δ᾽ εἰσαφίκανε, πόλιν θείοιο Θόαντος*: sed prius insulam, dein urbem, quo pervenerit dea, significat. Simili modo mox [3]):

Ἴδην δ᾽ ἱκέσθην πολυπίδακα, μητέρα θηρῶν,
Λεκτὸν, ὅθι πρῶτον λιπέτην ἅλα;

neque inepte observat *Eust.* ad h. l.: *καθὰ εἴωθε γράφειν ὁ ποιητὴς τῶν μερικῶν μὲν πρὸς ἱστορίαν δεόμενος, τὰ ὅλα δὲ προστιθεὶς διὰ σαφεστέραν γνωριμότητα.* Nunc quidem eam audire *Palaeo Castro* vel *Castro*, *Mannertus* statuit in Geographia vetere [4]); *Lemno* autem vel *Lemnos* vocari, *Belon.* [5]) *Dapper.* [6]) cum *Choiseulio.* Utrum utro verius, ignoramus, attamen *Mannerto* magis favet Scholiasta ad *Ap. Rh.* [7]): *πόλις δέ ἐστιν ἡ Μυρίνη πρὸς τῷ τέλει τῆς Λήμνου*, quum *τέλος* mediae orae, in qua sita est *Lemnos*, quam extremo alicui angulo, qualem occupat *Palaeo Castro*, minus apte conveniat. *Athus* umbram ad *Myrinam* usque pertinuisse, discimus ex *Apollonio* [8]): *Ἡ* [*Ἄθω κολώνη*] — *Λῆμνον* — *Ἀκροτάτη κορυφῇ*

---

1) 1, 604.
2) Il. XIV, 230.
3) v. 283, 84.
4) T. 7. p. 252.
5) c. 25.
6) p. 243.
7) 1, 604.
8) 1, 602 - 604.

σκιάει καὶ ἔσχαροι Μυρίνης; atque accuratius etiam locum, quem mons obumbraverit, designat Solin. [1]): „Praeterea oppidum *Myrinae*, in cujus forum mons *Athos* e *Macedonia* umbram jacit.“ Qua de causa dubitare non licet, quin ad eam ipsam spectet versus ille *Sophocleus*: *Ἄθως σκιάζει νῶτα Λημνίας βοός*: quem ab *Etym. M.* s. v. *Ἀθὼς* excitatum *Brunck.* in fragmentis assignat *Lemniis* fabulae: neque id immerito, quum et *Steph. B.* s. *Δώτιον* laudet *Λημνίας προτέρας*, neque inveniatur ullus cujusquam fabulae *Sophocleae* titulus, quo aptius illum versum reléges. Scholiasta ad Il. [2]) habet *ὦτα:* neque magis probandum Scholiastae ad *Theocr.* [3]) *ἁλὸς*, id quod *Salmasius* quoque reddidit in *Exercc. Plinn.* [4]) Contra genuinam lectionem exhibet *Plutarchus de facie in orbe lunae* [5]) versu ceteroquin satis immutato, ita ut memoriter recitatum judicaturus esses, nisi in Ms. Genev. ad *Theocriti* l. l. Scholion idem afferret: *Ἄθως καλύπτει* [ap. *Plut.* perperam *καλύψει*] *πλευρὰ Λημνίας βοός*. Quamquam ne id quidem est veri dissimile, expressum esse ab illo *Plutarchum*. Porro *Suidas* v. *Ἄθως* et *Eust.* ad Il. [6]) tenent *βοὸς*: quorum hic addit, versum esse proverbialem de illis apte dicendum rebus, quae per sublimitatem quandam ad humiliora vel ex longinquo perveniant. Ceterum de umbra montis in *Lemnum* extensa confer *Statium* quoque [7]); et *Belon.* [8]) ipse die secundo

---

1) 17.
2) XIV, 229.
3) 7, 76.
4) p. 184. col. 2. A.
5) T. 9. p. 694. ed. R.
6) XIV, 229.
7) Th. 5, 51, 52.
8) c. 25.

mensis Junii observasse ait sole nondum praecipite admodum sinistrum insulae cornu *Athus* umbra attactum.

Alteram urbem *Hephaestiam* sive, quemadmodum seriores, *Galen.* l. l., *Ptolem.* [1]), *Eustath.* ad Il. [2]) nomen exhibent, *Hephaestiadem* ob ignem, qui in ejus vicinia erumpebat, Vulcano esse dicatam, valde est probabile. Etenim *Chrysen* promontorium proxime ab ea afuisse, docet *Choiseulii* tabula. Nunc ejus in loco esse videtur *Cochino*, quem parvulum dicit pagum *Dapp.* [3]) quique mari adjacet, quare controversia exsistit cum *Ptolemaeo* [4]) *μεσόγειον* eam appellante: sed quum collis terra celebrati *Mosychlique* situs urbi propinquorum contra arguat, satius videtur quam ut aperte erroris accusemus Geographum, eum e vetustiore quodam, cujus aetate *Chryse* promontorium inter *Hephaestiam* et mare interjectum nondum perierat, mutuatum illud putari.

Reliquum est, ut de labyrintho agamus, cujus adhuc exstare reliquias, affirmat *Plin.* [5]), nunc vero vestigium inveniri nullum, testantur *Belon.* [6]) et *Choiseul* [7]). Similem fuisse Aegyptio et Cretico labyrinthis [nimirum minore norma adhibita] narrat *Plin.*; columnis tantum centum quinquaginta memorabiliorem fuisse: quarum in officina turbines ita libratos pependisse, ut puero circum agente torna-

---

[1]) 3, 13. extr.
[2]) XIV, 230.
[3]) p. 243.
[4]) 3., 13, extr.
[5]) H. N. 36, 13, 19.
[6]) 30.
[7]) Superioris itinerarii fasc. 1, p. 166.

rentur. Architectos illum fecisse *Smilin, Rhoecum*[1]) et *Theodorum* indigenam: sed de ejus ortu insignis erroris *Plinium* recte arguit *Mueller.*[2]) excitans alium ejusdem scriptoris locum[3]): „Theodorus, qui labyrinthum fecit, *Sami* ipse se ex aere fudit etc.“ Unde apparet, eundem fuisse, quem *Samium* cum *Rhoeco* plasticen invenisse multo ante *Bacchiadas Corintho* pulsos refert *Plin.*[4]); qui quum a. Ch. 636. *Corintho* exsules facti fuerint, incideret hujus labyrinthi exstructio in initium Olympiadum: at quia *Smilis*, de quo vide *Silligium* in Cat. disputantem, multo ante vixit, superior etiam statuenda erit ita, ut rectissime judicante *Sillígio* a *Smilide* inchoata deinde casu interrupta et ducentis fere annis post a *Rhoeco* et *Theodoro* ad finem perducta fuerit. Qua ratione licet duplicato, quem voluit *Mueller.*[5]), supersedere *Smilide.* *Lemnium* vero omnino non exstitisse Labyrinthum, quod comprobare studuit *Hirt.* in *Boettigeri Amalthea*[6]) in una eademque sectione pro: *in Lemno in Samo* et pro: *Lemnius Samius* scribi volens, quia *Sami* aliquis labyrinthus commemoretur[7]); ad nihilum redit, commate ante *Sami* posito.

Terrae benignitate *Lemnios* gavisos esse jam antiquis temporibus, docet *Ap. Rh.*[8]), ubi Hercules socios increpans, *Αὖθι*, inquit, δ᾽ἔαδε *Ναίοντας*

---

1) Heyn. Opuscc. Acadd. T. 5, p. 342.
2) Aeg. p. 99. sqq.
3) 34, 8, 19.
4) 35, 12, 45.
5) Aeg. p. 100.
6) I, p. 268.
7) 34, 8, 19.
8) 1, 867 sq.

λπαρὴν ἄροσιν Λήμνοιο ταμέσθαι et [1]) *Hypsipyle* exhortans *Iasonem*, ut cum sociis *Lemni* remaneat, ita *Thoantis* in locum facile successurus, addit, quibus ipsi persuadeat:

Οὐδέ σ' ὀΐω
Γαῖαν ὀνόσσεσθαι, περὶ γὰρ βαθυλήιος ἄλλων
Νήσων, Αἰγαίῃ ὅσαι εἰν ἁλὶ ναιετάουσιν.

Quas insulae laudes uterque Nostrum secutus expresserunt et *Ovid. Her.* [2]): „Dos tibi *Lemnus* erit, terra ingeniosa colenti" et *Stat. Theb.* [3]): „Florebat dives alumnis Terra etc." Et *Servius* ad *Aen.*[4]): „*Lemnus* insula Graeciae in mari *Aegaeo* satis fertilis et plana." Neque dissentit *Walpol.* l. l., qui auctor nobis est, inter colles, quibus quasi gibberam dicit *Belon.* [5]), campos interjacere plus minusve latos eosque ad culturam aptos: quamquam durissimo Turcarum imperio eo usque afflicta esset insula, ut pagorum, quos septuaginta quinque conspexisse ait *Belon.* [6]), vix dimidium etiamnum exstaret. Item *Villoisonius in Observatt. in itinere per Graeciam collectis* [7]) *Lemno* magnas tribuit planities solamque inter *Archipelagi* insulas vidisse affirmat, in qua vehicula moverentur. Quamobrem si *Apollonius* [8]) *Lemnum* vocat κραναὴν Σιντήιδα Λῆμνον et *Dionys. Perieg.* [9]) Λῆμνον κραναὸν πέδον Ἡφαίστοιο, ornandi causa universae insulae tribuisse

---

[1]) ejusdem cantus 829 — 831.
[2]) 6, 117.
[3]) 5, 54, sqq.
[4]) 8, 454.
[5]) 25.
[6]) 25.
[7]) Annales des voyages de la géogr. etc. V. 2, p. 153.
[8]) 1, 608.
[9]) 522.

videntur, quod proprie de Orientali et Septentrionali parte tantum valebat, eodemque modo sibi conciliari debent, quod *Hom.* [1]) ἀμιχθαλόεσσαν [*Hesych.*: ἀπροσόρμιςος ἐκ θαλάσσης καὶ δύςορμος] nuncupat, dum ex recentioribus *Dapp.* [2]) magnis commodissimum *Sti. Antonii* portum effert laudibus, *Kingsbergenus* vero l, l. optimas in Australi insulae ora reperiri ait stationes. Quas enim praeter *Hesychii* modo citatam laudant Sch. Ven. ad *Il.* [3]) explicandi rationes, ut vel ob hominum ferocitatem vel ob nebularum densitatem insula ita sit nominata, parum conveniunt; quum haec incolarum immanitas uno caeco quodam nominis Σίντιες derivandi studio niti videatur, quippe cujus neque apud *Homerum* neque apud alium quempiam scriptorem fit mentio ulla; et ad alteram interpretationem quod attinet, non ego assequor, quomodo e notione status a commercio alieni [μίγνυςθαι], possit nebulae significatio elici, nisi temere vocalem ο in α mutatam statuis. Denique Vulcaniae, quam prae se fert insula, naturae indicia praeter ipsum *Mosychlum* ponam haec quoque etiamnum conspicua, arboribus eam fere prorsus carere et prope *Lemnum* caput sub montis *Thermae* radicem aquas profluere calidas, [4]) quarum usum simplicissimum describit *Belon.* [5]) Praeterea affirmavit *Buttmanno Sestinius* abbas, quum omnia insulae tum vero formam littorum fundumque marinum oris contiguum arguere conditionem ejus Vulcaniam.

---

[1]) Il. XXIV, 753. et Hymn. 1, 36.
[2]) Pag. 243.
[3]) XXIV, 753.
[4]) Sonnini Voyage en Grèce et en Turquie p. 352; Choiseul. T. II. p. 136.
[5]) 33.

In *Walpolii* commentariis [1]) e Doctoris *Sibthorps* diario commemoratum legimus, ad insulae oram plures eum distinxisse *Medusarum* species, quae in floris formam se explicarent, ac lepidam admodum *Tabulariam* subcani coloris, *Opuntiae* similem vel cujus basi affixus esset *Cactus articulatus* una cum spongiis aliquabus. Idem *Alvam Pavoniam*, *Sertularias*, *Lepades anatiferas*, *Serpulas vermiculares* ibi reperisse testatur. Piscibus, eodem auctore, abundat nulla ora *Anatolicae* pars adeo, quantum *Lemnica*: quorum recenset *Percam marinam* [2]), *Iulidem* [ἥλιος], *Labrum trimaculatum* [*of pennant*], porro quem vocant *χάνι*, *Mullum rubrum* [βαρβοῦνι], *cinereum* [κέφαλος], *Denticem* [συναγρίδα], *Salpam* [σάρπα], *Melanurum* [μελάνουρο], *Sargum* [σαργὸς], *Scorpaenam* [σκορπίνα], *Sciaenam umbram*, *Labri* aliquam speciem, *Clupeam Alosam* [σταύριδι], *Sparum Mormyrum* [μόρμυρο], *Blennii* speciem [φαούζα] et *Gobii* parvam aliquam.

Ex plantis *Lychnidem* in *Cypro*, *Lemno*, aliisque locis inveniri optimam, docuit *Amerias* Macedo in Rhizotomico, teste *Athen.* [3]) *Belon.* [4]) refert *Chamaeleonem nigrum*, *Centauream benedictam* aliarumque longam seriem, quam nimium esset explicare hic integram. Referente *Walpolio* [5]) mali *Aurantiae*, *Cydoniae*, *Punicae* ibi inveniuntur, et in Turcae, quo duce utebantur, villa *Sibthorpsius* tantam vidisse ait cucumerum *Melonum* varietatem,

---

[1]) Memoirs relating to European and Asiatic Turkey. Lond. 1817.

[2]) Voss. Idol. 4, 506.

[3]) 15, p. 681. F. ed. Causaub.

[4]) cc. 25 26, 31.

[5]) p. 280 sqq.

quantam non alias ante. Ad vinum quod attinet, *Lemno* contrarium accidisse videtur ac *Samo*, quam vino non inclaruisse *Strabo* et *Eustathius* uno ore testantur, nunc vero inter optimas vini genetrices referri satis constat: quum e nostra insula, cujus vitium colendarum studium vel origo *Thoantis* quippe *Baccho* nati satis arguat, Graecis ad Trojam pugnantibus vinum navibus advectum dici ab *Hom. Il.* [1]), comprobent et *Aristophanes*, cujus in Pace [2]) Chorus agricolarum dicit:

διασκοπῶν ἥδομαι
τὰς Λημνίας ἀμπέλους κ. τ. λ.,

unde genus illud vitium etiam in continenti propagatum simulque praecox fuisse cernimus; et *Q. Cal.* [3]), qui Nostram *ἀμπελόεσσαν* praedicat; denique *Athen.* [4]): *ἐπιεικῶς δὲ ἡ Θρᾴκη ἐθαυμάζετο ὡς ἡδύοινος καὶ συνάλως τὰ πλήσιον αὐτῆς χώρια*; et numus *Hephaestiae* apud *Mionnetum* [5]), cujus in tergo visitur uva: hoc autem tempore, teste *Walp.* [6]), ut parvo parabile ita sit asperum atque male factum. Addit ut rem vino noxiam, solere incolas, simulatque uvas collegerint, capras et oves in vineas pastum exigere. Arboribus insula est male vestita, teste *Belon.* [7]), a quo non discrepat *van Kingsbergen* l. l. negans, in insula inveniri quidquam materiae.

Serpentnm refert *Belon.* [8]) hodierna vocabula: *Cenchriti* [antiquis: *Cenchris* vel *Cenchrus*], *Laphiati* [*Elaphis*?], *Ochendra* [*Echidna*], *Sagittari* [*Ja-*

---

1) VII, 467, sqq.
2) v. 1153, sqq. ed. Dindorf.
3) 9, 337.
4) 1, 31, B.
5) Supplem. T. II, p. 541, 6).
7) 30.
8) 31.

culus], *Tephliti* vel *Thephlini* [*Caecilia*], *Nerophidia*. Ac *Cenchris* quidem iconem rudem posuit *Belon.* [1]) et *Nicander* Ther. [2]), *Dioscor.* [3]), *Aet.* [4]) et *Lucan.* [5]), quorum haec fere est summa, eum esse squamis distinctum, etiam leonem discolorem [λέοντα αἰόλον] audire, forma a crassitudine in tenuitatem abire, colorem in primis alvi esse milio [κέγχρῳ] similem; porro, ubi se valde extenderit, jaculi instar [unde ei *Acontiae* nomen apud *Aetium*] in corpora immissum laedere; cujus morsum sequi putredinem, carnem autem circumfluere, quemadmodum hydrope, ac lethargicos reddi homines et veterno obnoxios.

Quo fructu insulam magis nobilitavit nullus, terra *Lemnia* [σφραγὶς Λημνία, μίλτος Λημνία], quam famam olim obtinuit, ea nunc omni fere est destituta: quo brevius hac materia fungi licebit. Valere autem putabatur adversus venena mortifera, sanguinis effusionem, alvi profluvium, ulcera deteriora, febres, id quod eo absurdius, quum vel morbi hujus materia satis affligatur stomachus. Σφραγὶς, auctore *Galen.* [6]), cui ut testi oculari eique accuratissimo plurimum fidei habendum, vocatur ob sigillum Dianae ei impressum, μίλτος ob colorem. Porro tria discernit genera: sacram terram, quam nemo praeter sacerdotem mulierem attingere debet quamque ipsam significare videtur *Dioscor.* [7]) dicens: χρῶν-

---

[1]) 31.
[2]) 1, 458 — 483.
[3]) 15.
[4]) 27.
[5]) 9, 712 — 14.
[6]) de simpl. med. tempp. et facc. 9, p. 246 ed. Chartr.; p. 117 ed. Bas.
[7]) 5, 113.

ται δέ τινες καὶ εἰς τελετὰς αὐτῇ. Altera proprie ac vere *μίλτος* cognominata potissimum utebantur fabri. Tertium genus erat terra extersoria, cujus usus ad lintea et vestes eluendas. Quod *Dioscoridem* l. l. secutus statuit *Belon.* [1]), terrae admixtum esse vel hirci vel caprae sanguinem, prorsus refutat *Galen.* l. l., narrans, quum ab incolis quaesiisset, an prius unquam vel hirci vel caprae sanguinem admixtum esse accepissent, risisse praesentes eosque quum aliis in rebus tum in patria historia eruditos: quorum ab uno accepit etiam libellum a superiore quodam conscriptum, qui omnem terrae usum complecteretur. Terrae a sacerdote cum ceremoniis quibusdam acceptae globulorum confectionem ibidem pluribus describit *Galenus* neque ab ea ratione discrepant, quae tradit *Walpol.* [2]), antequam terra sigillo instruatur, aqua secerni arenam, quo facto in figuras et particulas formae cylindraceae redigatur. Varietates terrae *Belonio* utpote ad aegrotos insulae incolas saepius advocato [3]) inprimis licuit examinare: de quibus aeque ac de fide globulorum, coloribus atque usu terrae disputantem vide cpp. 22, 23, 32. Idem [4]) refert uno Augusti die sexto fossam, unde petitur terra *Lemnia*, aperiri, quam consuetudinem sub Venetorum imperio introductam audiisse affirmat: sed apud *Walpol.* [5]) ab Turca Anglorum duce ejusdem mensis diem decimum septimum significatum legimus, quo loco etiam haec illius commemorantur, magni terram haberi momenti in quarundam febri-

---

[1]) 29.
[2]) p. 280.
[3]) 31.
[4]) c. 29.
[5]) p. 280.

um curatione nec nisi ante solis ortum effossae vim aliquam medicam inesse putari.

Regionis, in qua effoditur terra, descriptio legitur accuratissima apud *Belon* [1]) [2]), qui collem, in quo effoditur, in quem decidisse Vulcanum narrant *Philostrat.* [3]) et *Serv.* ad Aen. [4]) formam habere dicit cultri atque altitudine ne dimidio quidem montem *Martyrum* aequiparare, ita ut facile per eum boves carrum trahere possint: quocum facit *Torellius* [5]), amoenum eum dicens tumulum montemque Vulcani nuncupans. Neque alium significavit *Buttmanno Sestinius* [6]), collem *Hephaestiae* adjacentem memorans, qui leniter atque placide surgat, formaque sit conica. *Galenus* quidem, cui l. l. a *Philocteta* vel a Vulcani templo dictus videtur: ὡς δὲ ἀποβὰς τῆς νέως ἔγνων εἶναι δ' οὔτε κατὰ Φιλοκτήτην οὔτε κατὰ τὸ ἱερὸν τοῦ Ἡφαίστου λόφον ἐν τῇ χώρᾳ τῆς πόλεως ἐκείνης [*Μυρίνης*], eum exusto similem dicit et qui arboribus, saxis, plantis prorsus careat: quibus repugnare videtur *Herrmanno Attius* l. l. dicens:

„Dein Volcania templa sub ipsis
„Collibus, in quos delatus locos
„Dicitur alto ab limine caeli, et
„Nemus exspirante vapore vides,
„Unde ignis cluet mortalibus clam
„Divisus: eum dictus Prometheus
„Clepisse dolo poenasque Jovi
„Fato expendisse supremo [7])"

[1]) 28.
[2]) Attius in Herm. Opp. T. III, p. 120.
[3]) Philoct. p. 703.
[4]) 8, 454.
[5]) Egeo redivivo p. 427.
[6]) Buttm. in Museo litt. antiquitatis V. I, p. 312.
[7]) cf. C. Tusc. 2, 10, 23.

Sed quibus poetam excusare studet *Hermannus* [1]), puto haud necessaria, verum sunt distinguendi colles ab nemore, quo *Mosychlum*, cujus proceras abietes affert *Nicander* [2]), significatum censeo. Alium autem eum fuisse atque collem terra *Lemnia* inclytum, superioribus demonstravimus. Nec difficilius explicatur, quod *Galenicis* omnibus contraria vidisse affirmat *Albacarius* [3]); nam, id quod et ipse paulo post affert, collis cultorum diligentia ac laboribus faciem et naturam omnino poterat immutasse; saxa inundationibus advecta putaveris; denique quod *Albacarius* terram majori ex parte candicantem aut paulisper subrubentem vidit, quum *Galeni* saturate rubesceret, ut a rubrica nihil colore differret: facile nunc in alio atque *Galeni* tempore occupati erant terrae strato et serie. Itaque non est cur nolimus eundem putare collem et *Galeni* et *Albacarii*, praesertim quum incolae huic affirmarent, alibi insulae neque effodi terram neque unquam effossam accepisse. *Walpol.* l. l. nil nisi assurgere solum nuntiat: tum unde tum ex situ loci, quem Anglus peregrinatus a *Lemno* seu *Myrina* haud amplius quatuor fere horis dissitum ait, *Galeno*, *Belonio*, *Albacario* in adversa insulae parte prope ab *Hephaestia* [*Cochino*] inveniri eum consentientibus: apparet satis, alium spectatum esse locum a *Sibthorpsio* atque a superioribus illis [4]).

---

1) p. 219.

2) Ther. 427.

3) Commentarius Matthioli ad Dioscor. 5, 73.

4) De terra Lemnia praeter laudatos confer: Geopon. 10, 90, 1; Theophr. De causis plantarum 4, 9, 6; 4, 12, 3.; De lapp. §. §. 52, 53 ad eumque Schneid.; Strab. 12. p. 540; Plin. H. N. 35, 6, 14, ibique Hard.; Aet. 2, 4; Philostrat.

NOMEN ET EPITHETA.

Lemnum Stephanus B. s. v. *Λῆμνος* secundum *Hecataeum* in *Εὐρώπῃ*, ut videtur, nomen ait accepisse a Magna Dea, quam vocarent *Lemnum*: cui etiam immolari virgines. Haud quidem absurda offertur derivatio, quam legimus in *Bocharti* Can. [1]); *Λῆμνον* oriundum esse a Punico *libno* vel *lebno*, mutata littera *b* ante *n* in *m*, cujus rei plura affert exempla: nomenque illud accepisse eam ab albedine rupium vel scopulorum, qui insulam cingant. Sed re adeo incerta acquiescere in *Hecataei*, ut videtur, nominis derivandi ratione mallem, quam conjecturis e mera litterarum similitudine petitis, quamvis sint ingeniosae, quidquam tribuere. Ceterum hac de re v. infra.

Αἰθαλείας quoque nomine nuncupatam esse insulam, auctor est *Polyb.* apud *Steph. B.* s. v. *Αἰθάλη*, qualis dicta est vel a candore ignium inde erumpentium vel a fuligine, quam alebant camini fabrorum ferrariorum, satis, ut videtur, ibi frequentium; qua et ipsorum hominum et, quae occupabant, locorum facies infuscabatur. Eadem, ut *Diod. S.* quidem refert [2]), ob fuliginem sideritae lapidis artificiosorum caminorum ope liquati, audiebat insula, quam nunc vocant *Elbam*. *Ov.* [3]) refinxit eam *Aethalidem*. Cum *Welckero* autem [4]) derivari nomen ab *αἴθων*, poetice: *ferrum*, vetant et etymologiae ratio et vis simillimorum *αἰθαλὴς* et *αἰθαλόεις*.

Phil. p. 702; Paul. Aegin. 7, 3; Anton. Sarac. ad Diosc. 5, 113; Salmas. ad Sol. p. 1156 sqq.

[1]) p. 431.

[2]) 5, 13.

[3]) Trist. 2 3, 84.

[4]) Trilogia Aesch. p. 209.

Apollonius ab antiquissimis incolis *Lemnum* appellat *Σιντηΐδα* [1]), idemque legendnm est 4, 1759 pro *Σιντιάδα*.

Ov. Fast. [2]) eam dicit tellurem *Hypsipyleam* a *Thoantis* regis *Hypsipyle* filia, et *Hypsipylaeam* etiam vocatam esse olim, tradit *Ortel.* s. v. *Lemnus* Thesauro.

Vulcaniae cognomine ornatur a *V. Flacco* [3]), et quae ei ab aliis alia nomina tribuuntur.

Nunc vulgo usurpatur *Stalimene*, quod vocabulum debetur uni Gallorum Italorumque nautarum barbariae, qua tria haec: 'ς ὰν *Λῆμνο* [4]), quae responsa ferebant Graecarum navium cursum sciscitantes, sicuti unum hoc: *Stalimene* accipiebant, id ipsum loci alicujus nomen habentes. A Turcis nuncupatur *Limio* [5]).

HISTORIA.

Primos *Lemni* incolas commemoratos legimus *Sintias*, quos *Hom.* [6]) jam tunc, quum Vulcanus ab irato Jove ex Olympo dejiceretur, *Lemnum* habitantes eoque illum delatum benigne excipientes facit. Alter *Hom.* locus, quo eorum mentio fit, est Od. c. 8 v. 294. Hinc *Apollon.* [7]) *Λῆμνον* appellat *Σιντηΐδα* [8]) et *Orph.* [9]) *Σιντιακὰς ὀφρύας* ei tribuit. *Eust.*

---

1) 1, 608.
2) 3, 82.
3) 4, 440.
4) Bioernstaehl in Epp. T. IV. pgg. 339, 40; David Méthode pour étudier la langue Grecque moderne p. 12.
5) Dapper. p. 241.
6) Il. 1.
7) 1, 608.
8) cf. 4, 1759.
9) Arg. 469.

ad Od. [1]) refert, secundum aliorum opinionem, quibuscum facere videtur Sch. ad *Thuc.* [2]), aborigines esse *Sintias*, secundum alios venisse eos ex adversa continentis ora: quae sententia aperte est eadem, qua ex *Thracia* oriundi feruntur, uti volunt *Hellan.* [3]) et *Strab.* [4]), ubi haec: *Σίντιες ἐκαλοῦντό τινες τῶν Θρακῶν, εἶτα Σίντοι, εἶτα Σάϊοι - οἱ δ' αὐτοὶ οὗτοι Σάπαι νῦν ὀνομάζονται. πάντες γὰρ οὗτοι περὶ Ἄβδηρα τὴν οἴκησιν εἶχον καὶ τὰς περὶ Λῆμνον νήσους.* Quo addi debet nomen *Σίντιοι*, quales vocantur *Σίντοι* a Sch. *Th.* [5]) et *Steph.*; eademque ratione *Liv.* [6]) eos nuncupat *Sintios*. *Müll.* contra [7]), ratus, ob unam Thraciae orae viciniam *Sintias* habitos esse pro Thracibus, potiorem illam existimat famam, qua *Tyrrheni* esse traduntur, cujus auctores exstant *Philoch.* [8]): *Φιλόχορός φησι, Πελασγοὺς αὐτοὺς ὄντας [Σίντιας] οὕτω προσαγορευθῆναι ἐπεὶ πλεύσαντες εἰς Βραυρῶνα κανεφόρους παρθένους ἥρπασαν;* quia, explicante Sch., *σίνεσθαι τὸ βλάπτειν λέγουσι;* et Sch. ad *Apollon.* [9]): *Σιντηΐδα δὲ λέγει τὴν Λῆμνον, ἢ ὅτι Τυῤῥηνοὶ πρῶτον ᾤκησαν ἐν αὐτῇ, βλαπτικώτατοι ἄνδρες, ἢ ὅτι ἄλλο βαρβαρικὸν ᾤκει βλαπτικόν.* Hanc igitur sententiam probabiliorem censet *Müll.* primum quod *Sinties* Orientem versus in Vulcania regione habitasse appareat inde, quod fuerint Vulcani cultores et fabri ferrarii [10]); tum quia,

---

[1]) 8, 294.
[2]) 2, 92, 1.
[3]) p. 92. ed. Sturz.
[4]) Epit. l. 7 p. 331 et, l. 12 p. 549. sq.
[5]) 2, 98, 1.
[6]) 42, 51.
[7]) H. Orch. p. 300 sq.
[8]) Sch. ad Il. 1, 594.
[9]) 1, 608.
[10]) Hellan. p. 142.

cunctis referentibus, piratae fuerint inhospitales et homines ἀγριόφωνοι [1]); denique quoniam conjunctio, quae eorum cum Cabirorum religione exstiterit, omnium maxime ostendat, *Sintias* statui debere *Tyrrhenos Pelasgos*. At primum, *Σιντῶν* aliquam gentem inventam ese in Thracia, auctorem locupletissimum habemus *Thuc.* [2]); ubi eorum sedes ita definiuntur, ut et montem *Cercinen* esse medium inter *Sintos* et *Paeonas* cognoscamus, et alterum hoc: qui ex *Odrysis* proficiscerentur ac montem *Cercinen* transirent, iis *Paeonas* ad dextram, *Sintos* vero ac *Maedos* ad sinistram relinqui. De qua sane obscurissima nobis quidem definitione egregie explicantem v *Gatter.* [3]) Jam vero e Thracia in vicinas insulas discessisse colonos non adeo improbandum videtur, praesertim quum teste *Herod.* [4]) Thraces hominum multitudine populis omnibus praeter Indos solos antecellerent. Porro *Heraclid. Pont.* [5]) nuntiat, *Samothraciam*, initio dictam *Leucaniam*, postea, quum Thraces eam occupassent, vocatam esse *Thraciam* i. e. *Threiciam* insulam. His autem deficientibus (τούτων δὲ ἐκλιπόντων) post 700 annos Samios patria extorres eam habitasse, a quibus *Samothracia* dicta sit: qua re evincitur, *Samothracen* ad 500 annos ante bellum Trojanum occupatam fuisse a Thracibus, quum Samii 209 annis post bellum illud in eandem insulam immigraverint [6]). Sch. *Thuc.* [7]) et ipse

---

1) Od. 8, 294.
2) 2, 98, 1, 2.
3) Popp. ad. Th. 1, 2, pag. 395 sq.
4) 5, 3.
5) fr. 21.
6) Sch. ad Il. XIII. 12 et Eust. ad eundem l. et 24, 78.
7) 2, 98, 1.

Lemnios Sintios eosdem habet atque Thraciae *Sintos*, sed mire docet, quum ex insula in Thraciam transmisissent, nomen ipsorum conversum esse in *Sintos*: quam sententiam, sive ex errore fluxerit Scholiastae, sive re vera sit alicujus scriptoris, sive ipse ille hoc excogitaverit, probari nullo modo posse apparet: quum parum videatur probabile, gentem parvae unius insulae per tantam hominum frequentiam ad *Cercinen* usque montem penetravisse. Accedimus ad illa, quae *Müll.* l. l. in contrariam partem disputat, ut persuadeat nobis, *Lemni Sintias* eosdem esse atque *Tyrrhenos Pelasgos.* Ac primum quidem argumentorum illud, quod in parte Orientali sedes haberent, aperte fateor me non intelligere. Nec magis video, cur propterea, quod *Sinties* Vulcani cultores iidemque fabri ferrarii essent, Orientalem tantum insulae partem tenuisse putandi sint. Sequentium autem rationum ad eam quod attinet, piratas fuisse *Sintias* et populum inhospitalem, certo id nullo argumento efficitur, quum derivationi illi, qua *Σίντιες* vel *Σίντοι* descendat a *σίνεσθαι* et idem sibi velit atque *βλαπτικοὶ*, non tantum sit tribuendum. Atque ut vere praedones fuerint *Sinties*, tamen inde non sequitur, eos non fuisse Thraces, quorum erat gens simillimo nomine nuncupata. Nec magis obstat, quod *ἀγριόφωνοι* perhibeantur, quasi non et ipsa Thracica lingua seu dialectus dure admodum ferierit elegantiores illorum aures, qui vel Peloponnesum vel minorem Asiam inhabitarent. Denique nexum aliquem habere cum Cabirico cultu *Sintias*, *Hellanici*, quem affert *Müll.*, loco haudquaquam evincitur. Leguntur enim p. 142 haec: *Ἑλλάνικος δέ φησιν, οὕτως αὐτοὺς [Σίντιας] κληθῆναι, ὅτι πρῶτον ἐχάλκευσαν ὅπλα, οἷς σίνονται οἱ πολέμιοι*: pars, ut videtur ejusdem loci, quem excitant Scholl. Ambros.

E. Q. ad Od. [1]); sed ea Sch. vitio depravata, quia in altero Od. Scholio, quod accuratius descriptum exhibet locum *Hell.*, nihil legitur de inventa *Lemni* ferraria fabrica: sed aliud nihil inde discimus, nisi a quibusdam (qui fuerint, neque Sch. indicat, neque conjectura licuit assequi) navigantibus in *Lemno* repertos esse Thraces aliquot, haud multos, qui ab accolis vocarentur *Sinties*, quod eorum nonnulli arma bellica facerent. Ceterum ne haec quidem nominis explicandi ratio ab ipso *Hell.* haud dubie excogitata arridet satis, tum quia nimis est artificiosa, tum quoniam abhorret ab usu vocis σίνεςθαι antiquissimo, quum, observante *Schneidero* in L. s. v. Σίνω, σίνεςθαι in Od. ubique sit „diripere" vel „latrocinari"; neque aliter in Il. [2]) σίντης λέων et [3]) λύκοι σίνται intelligi debent. Idemque prorsus cadit in *Philochori* et *Eratosthenis* derivationes ap. Sch. ad Il. [4]), quorum ille ex more, ut videtur, τὴν Ἀτθίδα συγγραψάντων [5]) dicit *Pelasgos* ita esse cognominatos, quod *Brauronem* devecti Canephoras virgines rapuissent. Σίνεςθαι enim esse idem quod βλάπτειν. *Eratosth.* autem, quia tanquam incantatores (γόητες) nociva invenissent venena. *Porphyr.* denique cum Sch. l. l. duas commemorat causas has: primum quod inventores fuerint armorum conficiendorum; deinde quia piraticam exercuerint: de qua altera ratione quid statuendum videatur, paulo antea diximus. Quibus omnibus de causis amplectendam censuerim *Hellanici* cum *Strabone* auctoritatem, ut

---

[1]) 8, 294 (ed. St. p. 92.)
[2]) 20, 164.
[3]) 16, 352 sq.
[4]) 1, 594.
[5]) Str. 5, p. 221.

ut sint Thraciae originis *Sinties*: quo admisso expeditum simul habemus poetarum principem gravis anachronismi crimine, quum *Tyrrhenorum*, qui in *Lemnum* immigraverunt 100 fere annis post bellum Tr., adventum necesse est notiorem fuisse, quam qui impune Vulcani lapsu antiquior ab *Homero* fingi deberet. Quod superest, utrum jubente *Str.* [1]) *Sinties* et *Sintii* pro iisdem habendi sint atque *Saii Sapaeique*, an non: de hac re facile quis admodum dubitet ob magnam horum nominum discrepantiam: sed et alia *Str.* l. l. exempla affert complurium nominum in unam eamdemque gentem collatorum, neque res per se ipsa adeo non est veri similis, ut fidem Geographo abrogare cogamur. Sed quum plures fortasse essent illius populi gentes, ut singulae ceteris antecellebant, universo populo ab iis nomen est inditum: cujus rei documento sunt et ipsi Graeci ab una Thessalorum natione vocati *Ἕλληνες*, et Celtae, quorum ex parte aliqua nomen obtinuit Gallorum. *Σίνδους* post *Maeotarum* gentem paludis Maeoticae accolas ponit *Scylax* [2]), quos putant a Phoenicibus seu, quo nomine antiqua Phoenicum patria fluviusque Indus, hodie *Sind*, vocetur, a Sidoniis ortum ac nomen ducere. Sed apparet, quam sit violenta haec derivandi nominis ratio, cui etsi ne ipsa quidem ab alia ulla re praeter vocum similitudinem et mediocrem utriusque terrae distantiam commendatur, praeferenda tamen sit ea sententia ut cognatio quaedam statuatur inter *Sindorum* et *Sintorum* populos. Ad accentum quod attinet nominis *Σίντοι*, in *Str.* fluctuat admodum, quum p. 331 *Σίντοι*, p. 457 *Σιντοί*, p. 549 *Σίντοι* exaretur:

---

[1]) 12, p. 549.

[2]) p. 31.

sed quamquam parum est verisimile, vel scriptorem ipsum vel quicunque accentibus primus ejus libros instruxerit, adeo non sibi constitisse in ponendo hujus vocabuli tono, consideratius tamen videatur actum, dum quae sit codd. ratio, ignoramus (de his enim tacet *Tzschuckius* ll. ll.), admittere illam inconstantiam magis, quam cum *Thuc.* libb. optt. in *Strab.* quoque vocabula ubique ὀξυτόνως exarare.

Ad *Minois* usque et *Rhadamanthi* tempora historia *Lemni* prorsus est tenebris involuta: quamquam de cultura vix dubitare licet, quin mature e vicina Asiae continente in nostram quoqne insulam transmigraverit, id quod inde potissimum colligas, quod fabricae ferri, cujus sedem primam *Hoeckius* in *Creta* recte statuit Occidentalem Asiae oram, *Sintias* nostros e pluribus locis novimus peritissimos. Nam ut concedas, quod negat *Müllerus* in *Orchom.*, ad summam antiquitatem referenda esse Thracica, quae Phoenices aperuerunt, metalla: aurum dnntaxat vel argentum produxisse videntur; quo accedit Vulcani in insulam lapsus, quem non tam de monte ignivomo exsistente quam arte ferri tractandi adventicia et divino quasi munere hominibus impertita accipiendum putaverim, quum additum illud, amice ab *Lemniis* exceptum esse Vulcanum multo magis quadret in artem haud spretam atque repudiatam, quam in ignis eruptionem, quam utrum admitterent necne non situm erat in ipsorum potestate.

Thoante Bacchi et Ariadnes filio [1]) imperium insulae obtinente, cui ducis munere perfuncto ab *Rhadamantho Lemnum* esse donatam narrat *Diod.*

---

[1]) Schol. ad Apoll. 3, 997; cf. Ov. Ep. 6, 114.

S. [1]); paulo ante, quam Argonautae illuc appulere, atrocissimum facinus a *Lemniadibus* perpetratum accepimus [2]).

Narrat autem ex his *Appollon.* ob sacra, quae in Veneris honorem *Lemni* peragi solebant, diu omissa gravi deam odio exarsisse malumque, explicante Scholiasta, odorem *Lemniadibus* immisisse, quo ab earum consuetudine mariti deterrerentur adeo, ut, quum in adversa Thraciae ora bellum gerentes, magnam captivarum praedam cepissent, domum reversi, eas in repudiatarum uxorum loco haberent. Quare mulieres summo flagrantes ulciscendi studio, non solum cum captivis suos occiderunt maritos, sed omnem masculam stirpem una, ne sc. essent, qui in posterum aliquando ob commissum scelus poena ipsas afficerent. Unam tamen *Hypsipylen Thoanti* patri, qui *Lemni* regnaverat, pepercisse eumque in arca conditum mari avehendum permisisse, unde ad *Oenoeen* sive *Euboeam* insulam [3]) delatum piscatores salvum extraxerint. — — De irata Venere foetoris causa cum *Apollonio* faciunt praeter Scholiastam ad *Apollodorum*, Sch. Ven., Sch. *Eur.*, *Stat.* [4]) aliique. *Valerius* [5]) causam etiam affert, cur „frigida semper ibi steterit Veneris ara“, nempe:

„Meritas postquam dea conjugis iras
Horruit et tacitae Martem tenuere catenae“.

---

[1]) 3, 79.

[2]) Cf. Apollon. 1, 609 et Sch. ad h. l.; Apollod. 1, 9, 17; Sch. ad Pind. P. 4, 88 *et ἐν ὑποθέσει Νεμέων*; Asclepiad. ap. Sch. V. ad Il. VII, 468, Sch. ad Eur. Hec. 870 ed. Matth.; Antigon. Caryst. 130; Val. Fl. II, 98. sqq.; Stat. Th. 5, 58 sqq. et Lactant. ad 5, 29; Hyg. 15; Orph. 469; Apostol. Cent. 11, Prov. 96 et 98.

[3]) cf. Sch. ad h. l.

[4]) 5, 17 — 19.

[5]) 2, 98 — 100.

Quam negligentiae illius derivandae rationem minime ineptam nonnisi ingenio poetae deberi, colligendum videtur inde, quod ante ipsum, cur Veneris cultum omiserint *Lemni* incolae, nemo unus commemorat. *Lactant.* ad *Stat.* [1]) putat, iratam fuisse Venerem erga *Lemnios*, quod in hac insula deprehensum esset suum cum Marte adulterium et *Meziriac.* ad *Ov.* [2]), quia catenae, quibus deam cum Marte constrinxit, a Vulcano in *Lemno* essent cusae. Sed utrique sententiae repugnat *Hom.* [3]), ex quo loco conficitur, paratis jam vinculis et per torum diffusis simulasse deum in *Lemnum* concedere, unde subito domum i. e. in Olympum rediens, universos coelicolas ad spectandum turpissimum facinus convocat. — Ad malum odorem quod attinet a Venere *Lemniadibus* immissum, consentiunt Sch. *Apollon.*, Sch. *Eur.* et *Caucasus* ap. *Zenob.* [4]), ap. *Phot.* et *Suid.* s. v. *Λήμνιον κακὸν βλέπων.* Aliter *Myrsilus* ap. Sch. *Apoll.* et *Ant. Car.* [5]), *Phot.* et *Suid.* s. v. l., qui vult, a Medea *Lemnum* praetervehente ob zelotypiam, quam aleret erga *Lemniades*, venenum in insulam esse conjectum, quod foetorem illum effecerit, ita ut etiamnum uno per annum die mulieres adeo male redoleant, ut et mariti et filii eas illo tempore aversentur. Fuit autem haec foetoris origo priore ignobilior longe et nescio an primus eam *Myrsilus* excogitaverit, quum narrasse quidem primus arguatur a Schol. ad *Ap.* verbis his: *Ἰςέον δὲ ὅτι πάντων ἱςορούντων, ὅτι διὰ τὸν*

---

1) 5, 29.
2) T. II p. 39 sqq.
3) Od. 8, 266 sqq.
4) Cent. 4, Prov. 91.
5) 130.

τῆς Ἀφροδίτης χόλον δύςοσμοι ἐγένοντο αἱ Λήμνιαι, διαφέρεται Μυρτῖλος λέγων κ. τ. λ. Ac physicam hujus mali causam putaveris aeris indolem, quam fuisse morborum contagionibus commodam, indicat locus *Thuc.* [1]), ubi luem eandem, quae belli Peloponnesiaci secundo anno Athenas invasit, ante jam etsi lenius in *Lemno* aliisque locis legimus grassatam. Ita tamen hoc impeditum relinquitur, quod malo illo odore mulieres solae laborasse traduntur. Ex ore emanasse *Lemniarum* foetorem, statuit *Eust.* ad Il. [2]); *Dio* vero *Chrysost.* [3]), quocum facit *Lact.* ad *Stat.* [4]), hircinum putans odorem: Λημνίων, ait, ταῖς γυναιξὶ τὴν Ἀφροδίτην ὀργισθεῖσαν λέγουσι διαφθεῖραι τὰς μασχάλας. Reliqui omnes nil nisi δυςωδίαν commemorant. — Arcam, cui inclusum *Thoantem* ad *Euboeam* transnasse narrat *Apollon.*, a *Statio* et *Val.* cum navigio permutatur; quorum uterque, quomodo servatus sit *Thoas*, verbis pluribus exornavit: ille enim, postquam *Hypsipyle* nuntiavit patri *Lemniadum* scelera, eum hac ipsa nocte per urbem mare versus deductum facit, ubi navi committeretur: id quod bene successit, Baccho iter „longae limite flammae clarante". Fingente *Val.* [5]) *Hypsipyle* in Bacchi templo patrem occulit et sequente die sertis juvenisque coma et vestibus Lyaei ornatum medio in curru positum per urbem traducit, alte clamans:

„Linque o mihi caede madentem,
Bacche, domum, sine foedatum te funere pontus
Expiet; et referam lotos in templa dracones".

---

[1]) 2, 47, 3.
[2]) 1, 593.
[3]) Or. 33 p. 409, 5 ed. Morell.
[4]) 5, 29.
[5]) 2, 274 — 76.

Ita in densum silvam abductum, aliquanto post navi imponit. — Insulam denique, quo *Thoantis* receptaculum undae devexerint, *Stat.* [1]) appellat non *Oenoeen* sed *Chium*, addens, fama eum fraternae insulae imperium obtinuisse. Frater autem erat *Oenopion*, cui *Rhadamanthus Chium* commiserat [2]). *Hyg.* [3]) contra, sequente eum *Valerio* [4]), nuntiat, *Thoantem* tempestate in insulam *Tauricam* delatum esse, et fabula 120 responsum legimus *Orestae*, ut in terram *Tauricam* ad regem *Thoantem*, patrem *Hypsipyles* iret: qnem *Thoantem* ob nimium temporis intervallum nullo modo eundem haberi posse atque *Hypsipyles* patrem, contendit *Mez.* ad *Ov.* [5]) At oblitus videtur vir doctus, saepe duos pluresve mythos, quamvis magno temporis spatio interjecto, in unum conjungi solere, id quod inprimis observare licet, si in terram aliquam jam peculiaribus mythis praeditam adventicii insuper deferantur. Tale quid autem etiam *Thoantis* fabulae accidisse, a vero non ita abhorret, quum domesticae *Achaeorum* e Peloponneso in Aeolidem et Propontidem, quam Argonauticae fabulae sedem comprobat *Müll.* [6]), fugientium narrationes, quo etiam *Orestei* pertinent errores, ad Argonautarum mythum amplificandum facile nomentum haberent. — *Herodoti* verba: τοὺς ἅμα Θόαντι ἄνδρας σφετέρους ἀποκτείνασαι [7]) primus omnium *Schweighaeus.* recte explicuit, sentiens, adjecto articulo indicari τοὺς ἅμα Θοάντι γενομένους, „qui *Thoantis* ae-

---

1) 5, 486, 87.
2) Diod. 5, 79.
3) 15.
4) 2, 301, sqq.
5) T. II. p. 45.
6) p. 286. sqq.
7) 6, 138.

tate vixerunt": non negari, caede exemtum per filiae pietatem fuisse *Thoantem*. Est autem sermonis aliqua negligentia, quae conspicitur in addito σφετέρους, facilis admodum explicatu per vocabuli ἀνήρ ambiguam notionem. Contra Schol. *Pind.* ἐν ὑποθέσει Νεμέων, quocum in summa rei consentit *Apollod.* [1]), auctor est, quum post Argonautarum transitum reliquae *Lemniades* intellexissent, *Thoantem* arcae inclusum ab *Hypsipyle* custodiri; hunc cum illa mari submersisse et *Hypsipylae* quoque mortem decrevisse. Quod animadvertens illa fugit et a latronibus capta *Lycurgo Nemeorum* regi vendita est: *Apollod.* vero ab ipsis *Lemniadibus Hypsipylen* venditam esse tradit. Et *Lycurgus* quidem *Hypsipylae Ophelten* filium nutriendum dat, cujus a serpente icti mors quomodo ansam dederit Nemeorum instituendorum, non est hujus loci exponere. *Hypsipyle* autem quum ob peccatum illud ab *Eurydice* matre *Opheltae* in loco quodam secreto ad mortis supplicium esset abscondita, filii matrem quaerentes ad *Nemeam* appulerunt et *Amphiarai* vi fatidica docti, ubi mater versaretur, custodia eam liberarunt. Quo facto *Hypsipyle* a septem heroibus petiit, ut certamen cum filiis subirent. — — *Müll.* in hac *Lemniadum* caede symbolici quid deprehendere sibi visus est, quod pertineret ad Cabiricum et Vulcanium insulae cultum; id enim vel supplicationibus solemnibusque lacrimationibus *Lemnicis* satis comprobari, quarum mentionem injiciat *Aesch.* in Choeph. [2]):

Κακῶν δὲ πρεσβεύεται τὸ Λήμνιον
Λόγῳ· γοᾶται δὲ δήποθεν κατά —
Πτύξον κ. τ. λ.

---

[1]) 3, 6, 4.
[2]) 622 sqq. ed. Well., 626 ed. Sch.

Sed verba: γοᾶται κ. τ. λ. non peculiarem quandam *Lemniacam* deplorationem indicare videntur, sed in universum dicta putaverim, quum ad probandam *Müll.* sententiam accuratior loci, in quo defleatur *Lemnium* malum, desideretur significatio, ac deinde inepti quid atque languidi insit verbis ita acceptis, quippe nil nisi historici aliquid indicantibus, quod ad augendam facinoris atrocitatem ne minimum quidem valeat. Alterum pro se affert locum *Philostrati* [1]), ubi ob illam caedem *Lemnus* quotannis lustrari dicitur ita, ut ignis ibi per novem dies exstinctus sit, dum navis sacra ex *Delo* eum retulerit. Quae si ante inferias celebratas advenerit, portum subire non debet, sed in salo ad promontoria fluctuat, donec adnavigare fas sit. Inferos enim deos atque infandos (ἀποῤῥήτους), Cabiros puta, qui χθόνιοι vocantur ob ipsorum vim naturalem, de qua v. infra, invocantes, purum opinante *Philostrato* ignem in mari asservant. Navi autem introrsum vecta, postquam distributus fuerit ignis tum ad reliquum vitae usum tum ad artes ignem desiderantes, nimirum quia eae pro ipsius Vulcani dono haberentur ideoque earum esset aliqua sanctitas: novam inde vitam se exordiri ajunt. Causam vero, cur hanc lustrationem peragerent *Lemnii*, nullam aliam duxerim, nisi quod ignis, ut purissimum elementum, talibus pollui crederetur. Unde etiam, observante *Oleario*, igne cremare nefas eos, qui manus sibi intulissent. Ac *Delo* quidem recentem ignem petebant, credo, propterea quod, quum Solis videretur purissimus, ejus aras censerent dignissimas, unde prisca Vulcano restitueretur sanctitas et quasi incolumitas. Praeterea *Photii* quoque locum iu L.: *Κάβειροι· δαίμονες ἐκ Λήμνου διὰ τὸ*

---

[1]) Her. Ach. 740.

τόλμημα τῶν γυναικῶν μετενεχθέντες ad Cabiros abductos referri, acutissime observat *Welck.* [1]) Quare hoc nullo modo negari potest, *Lemniadum* caedem conjunctam fuisse cum Vulcaniis insulae sacris, qui deus quum Cabirorum deorum pater haberetur, etiam ad Cabiricum cultum ceremoniam istam pertinuisse, facile concesserim, praesertim quum hi ipsi Cabiri videantur dici *θεοὶ χθόνιοι* et *ἀπόῤῥητοι.* Sed narrationi quid insit symbolici, fateor conjectura assequi non potuisse. Nescio tamen, an *Müll.* respiciat ad p. 265, ubi finem Argonautici cursus statuit hunc symbolice religiosum, ut cum Deo in gratiam redeant homines delictorum veniae desiderio laborantes.

Post hoc facinus perpetratum appulerunt igitur Argonautae ad *Lemnum*, ut *Apollon.* quidem vult [2]), uno haud integro anno praeterlapso: *πᾶς δῆμος νηλειῶς δέδμητο παροιχομένῳ λυκάβαντι*, quum *Colchidem* versus tenderent, qua in re cum *Ap.* facit *Apollod.* et Sch. ad *Pind.* [3]) *Pindarus* vero [4]) in reditu eos *Lemni* deversatos facit, et *Myrsilus* eandem sequitur famam, quum *Lemniarum* foetorem tribuat Medeae venenis. Utra utri praeferenda sit temporis constitutio non habeo dicere; est enim ea res haud facilior, ac si quis certi quid statuere velit de narratione eorum, quae statim Minyarum adventum exceperint. Nam Sch. ad *Ap.* [5]) refert, *Lemniades* ab *Aeschylo* in tragoedia: *Hypsipyle* dici armatas invasisse Argonautas tempestate abactos nec non ab iis jusjurandum exegisse, se cum ipsis rem habituros.. *Soph.*

---

[1]) p. 248.
[2]) 1, 609, sq.
[3]) P. 4, 450.
[4]) P. 4, 448, sqq.
[5]) 1, 773.

vero in *Lemniis* pugnam etiam commemorasse traditur [1]) gravem a feminis cum heroibus factam. *Apollon.* quidem inductas armis omnes uno impetu e *Myrinae* portis effusas dicit, postquam remis admotam Argo conspexissent; sed mox *Aethalides* praeco e navi missus *Hypsipylae* blandis verbis persuadet, ut appulsos excipiat. *Apollonio* accedit *Stat.* [2]) nec multum discrepat *Val.* [3]) In terram deinde et urbem benigne ut recipiantur fit suadente *Polyxo*, nutrice *Hypsipyles*; et *Iason* ipse in reginae domum concedit, reliqui autem, quo quisque forte pervenit, praeter Herculem, qui lubens cum paucis selectis commilitonibus apud navem relinquitur. Concubitus nautarum cum *Lemniadibus* disertis verbis non indicat, sed nil nisi sacrorum ad Venerem placandam factorum mentionem facit. Tandem, quum navigatio in diem ex die differretur, Hercules graviter increpans socios ad discessum permovet et retinacula Argus solvuntur. Qua in copiosissima Argonautarum hospitii descriptione illud omissum deprehendimus, quod memorant *Pind.* [4]) et Sch. [5]), *Lemni* sub Argonautarum adventum *Thoanti* tanquam e vivis sublato certamina funebria, quorum praemia vestes erant, inter feminas ab *Hypsipyle* instituta fuisse: ad quae, quum navibus descendissent, et ipsi illi invitati inter sese certarunt. Verba enim: ἀμφὶς ἐσθᾶτος ut idem esse putemus quod περὶ ἐσθᾶτος, suadent tum Sch. ad *P.* [6]), qui nobis auctor est, et *Simonidem* et *Pin-*

---

[1]) Vide l. l.

[2]) 5, 347.

[3]) 2, 3, 13 sqq.

[4]) 4, O. 4, 448 sqq.

[5]) Ad v. 450 et Ol. 4, 32.

[6]) 4, 450.

darum ipsum in Ol., quem tamen locum invenisse negat *Boeckh.*, Argonautarum de vestibus certamina tradidisse; tum Ol. 4. vss. 31. sqq., quo loco legimus, *Erginum Minyarum* unum aereis in armis currentem vicisse, qua quidem victoria liberatus sit a mulierum irrisione, quippe qui etsi aetate junior, canis tamen capillis, parum ipsis videretur idoneus, qui ad cursus certamen se accingeret. Apparet autem hinc quoque, antiquissimum mythum secutum non esse *Apollonium*, quum *Erginus* ille sit rex *Orchomeniorum* [1]), *Orchomeni* autem civitati intima cum *Iolco* intercesserit familiaritas: quare longe sit verisimilius, ex antiquissima fabula hunc fuisse positum in Argonautarum numero quam cum Hercule Dioscuros, quorum e propiis suis in Argonauticum mythum recepta sunt nomina.. Rursus *Pindaro* de Argonauticis rebus canenti fidei aliquis cumulus inde accedit. Ceterum *Müll.* hanc alteram fabulae partem, qua de Argonautarum adventu et hospitio agitur, arguere opiniatur coloniam *Minyeiam*: at non opus videtur, ut tale quid subesse putemus. Minus vero etiam cum *Welckero* [2]) Argonautas in *Lemnum* devenisse mere commenticium duxerim: cujus fabulae id in causa sit, quod videatur inter *Minyas* aeque ac *Lemni* fuisse Gynocratia, cui explicandae de *Lemniorum* caede narrationem omnino inventam contra omnes auctores conjicit. Sed quamquam in aliis civitatibus fuit ejusmodi regnum, antecedente virorum caede nulla, attamen exemplis, quorum sane magnum *Welckerus* l. l. affert numerum, non efficitur, *Lemnias* mulieres zelotypia ac contemtu non esse ad scelus illud exstimulatas.

---

1) Müll. p. 184, 207.
2) p. p. 585. sqq.

Genitorum per hosce concubitus ex mulieribus *Lemniis* trium tantum nomina ad nos perlata inveni: filiorum sc., quos *Iasoni Hypsipyle* peperit, et *Leucophanis*, quem concepit ex *Euphemo Phlegya*[1]) *Malicha* vel *Malache Lemnias*, quam eandem *Tzetz.* ad *Lyc.*[2]) appellat *Lamachen*. *Iasonis* et *Hypsipyles* filios *Apollod.*[3]) *Εὔνηον* et *Νεβροφόνον* nominat. *Εὔνηος* enim correxit *Heyn.* secundum codd. *Dorv.* et *Regg.* ex *Εὔηνος*, quod neque usquam alias legitur, nec per se adeo commendatur, quantum *Εὔνηος*, exaratum jam in *Hom.*[4]), vel *Εὔνεως*, quam utramque formam interpretatur *Stat.*[5]) ita:

„Ecce et Iasonidae —
Nomen avo gentile, Thoas, atque omine dictus
Euneus Argoo“.

Atticam formam *Εὔνεω* habet Schol. *ἐν ὑποθέσει Νεμέων*, *Philostrat.*[6]): *Εὔνεῳ*, et *Hesych.* s. v. *Εὐνεῖδαι*: *Εὔνεως* praeter Ionicam: *Εὐνήου*. Et *Eust.* ad *Il.*[7]): *ἱςέον δὲ*, ait, *ὡς οὐ μόνον Εὔνηος τὸ κύριον ἀλλὰ καὶ Εὔνεως κ. τ. λ.* Neque vero valde discrepat etymon formae *Εὔνοος*, quae offertur in argumento decimi epigrammatis *Cyzicenorum*: *Ἐν δὲ τῷ κατὰ δύσιν πλευρῷ ἐςὶν ἐν ἀρχῇ τοῦ Ι πίνακος Εὔνοος γεγλυμμένος καὶ Θόας, οὓς ἐγέννησεν Ὑψιπύλη κ. τ. λ.* Ut enim *Εὔνηος* et *Εὔνεως* a radice *νη* — ob sequens *ο* in *νε* — mutata[8]): ita *Εὔνοος*, quod tamen minus vulgare videtur fuisse, a *νέω* „nare“ derivandum videtur,

1) Müll. p. 262. sq.
2) 886.
3) 1, 9, 17.
4) Il. VII, 468.
5) 6, 340, sqq.
6) Her. Phil. 703 in.
7) XXIII, 747.
8) Buttm. Gr. Gr. ampl. §. 27. Annot. 21.

cujus rationis analogiam praebent θοὸς a θέω et ἀθρόος a θρέω, puto, sic deducendum, ut primo ac proprie fuerit: „una clamans, tumultuans“. In *Str.* 1, p. 41 *Friedemann.* legi vult formam Εὔνεως receptam jam a *Siebenk.*; quo tamen loco praeter lectiones cdd. *Vat. B.* et *Bemb.*, mere glossematicas, quae exhibent *Genit.* Εὔνεω, de lbb. nihil notatum est, nisi in *Par.* 2. ab al. m. supra δηλοῖ scriptum esse Ὅμηρος et: τοῦ Εὔνεω legi, a *Mosc.* post: κρατῆρα insertum, quod utrumque explicandi causa aliquis adspersit; deinde, *Brequign.* e *Reg.* habere Εὔνηος. Ejusdem libri p. 45, ubi *Siebenk.* Εὐνήων scribit, quae forma nullo modo probari potest; propter codd., qui ad unum omnes huic lectioni favent, scribendum est cum *Cor.*: Εὔνηος. Denique p. 46, ubi *Sieb.* iterum habet Εὐνήων, *Med.* 2 cum *Ald.* et *Hopp.* exhibent Εὔναιον; *Par.* 1, 2 Εὔνεον; *Par.* 3 Εὔνειον; *Moscov.* et *Med.* 1, *Breq.* cum *Cor.* Εὔνηον, recipiendum sane, librorum ratione habita. Nihilo tamen secius *Fried.* legi vult: Εὔνεων, id quod nullus exhibet liber et cui trium lbb. vitiosae scripturae nihilo plus favent quam alteri. Itaque etiam primo illo loco, cujus Attica forma adhuc non nisi interpolatis lbb. nititur, cum *Brequ.* et *Cor.* legendum videtur Εὔνηος, id quod et *cod. Reg.* exhibet et auctoritatis cumulum inde accipit, quod hoc modo auctorem in scribendo nomine sibi constitisse consequimur. Quam formam admittit *Heyn.* ad *Apollod.* [1]): Εὐνεὺς neque usquam oculis occurrit neque eam unquam in usu fuisse est verisimile admodum, quia exitus in ευς, ut κουρεὺς a κείρω, γραφεὺς a γράφω, eorum tantum substantivorum est proprius, quibus indicantur vel artem vel omnino id, quod verbum

---

1) 1, 9, 17.

significat, exercentes. Ad nomen *Εὐνεῖδαι* vero quod attinet, de quo Et. M. [1]): *Εὐνεῖδαι γένος Ἀθήνησι μουσικὸν, ἀπὸ Εὔνεω(ς) τοῦ Ἰάσονος καὶ Ὑψιπύλης*: *Buttm.* in ampl. Gr. Gr. §. 119 Ann. 29 multa affert exempla, inter quae et ipsum nostrum vocabulum, Patronymicorum vel euphoniae vel metri causa aliam atque usitatam formam sequentium. — Alterum *Iasonis* filium, quem *Apollodor.* l. l. *Νεβροφόνον* dicit, *Thoantem* appellant Schol. *ἐν ὑποθέσει Νεμέων*, epigr. *Cyz.*, *Stat.* [2]); *Deiphylum Hyg.* [3]) Proprium nomen indicasse videntur Sch. *Pind.* eumque sequentes; ab avo, more Graecorum solito, ad nepotem traductum. Epitheto: *Νεβροφόνος* studiosum rei Bacchicae cultorem indicari putaveris; de quo deo vide infra s. *Res sacrae.* Ceterum an sibi ipse et hoc et illud *Δηιφύλου* (populorum vastatoris) cognomen debeat, an paterni nominis celebrationi: hac de re certius quid vix statuere liceat. — *Euneum* belli Trojani tempore a *Graecorum* parte stetisse, docet *Hom.* [4]), unde discimus, *Achaeos*, quum Trojam navigarent, hospitio exceptos esse ab *Euneo*; et 7, 467 naves narrantur *Lemno* advenisse, paeter vinum, quod inter *Graecos* divenderent, Atridis seorsum mille temeti metra munus honorarium afferentes [5]). Quorum alter locus ab *Achille*, alter a *Patroclo Iasonidae* venditum dicit *Lycaonem Priamiden* bello captum *Trojano*. Et *Demetr. Sceps.*, teste *Str.* [6]), disertis verbis ait; Achillem, quum *Lesbum*

---

1) 165, 47.
2) 61, 340.
3) 15 et 273.
4) Il. VIII., 230 sqq.
5) Cf. etiam 21, 40 sqq. et 23, 740 sqq.
6) 1, p. 45.

aliasque terras vastaret, abstinuisse *Lemno* vicinisque insulis ob cognationem (συγγένειαν), quae ipsi cum *Iasone* atque *Euneo* intercederet. *Iason* autem et ipse Thessalus fuit [1]). Contra *Q. Calaber* [2]) de *Achille*:

Ἀμφὶ δέ μιν μόγεραι ληΐτιδες, ἅς ῥά ποτ' αὐτός
Λῆμνόν τε ζαθέην Κιλίκων τ' αἰπὺ πτολίεθρον
Θήβην Ἠετίωνος ἑλὼν ληΐσατο κούρας κ. τ. λ.

Quae quomodo cum illis *Hom.* et *Strab.* locis conciliari possint, non video: quare putaverim, poetam facili errore confudisse cum *Lemno Lesbum*, de qua v. *Str.* [3]) Ad *Leucophanem* vero, *Euphemi* filium, quod attinet, Sch. *Apollon.* [4]) memorat, ex posteris ejus esse *Sesamum*, qui quidem secunda generatione ab eo oriundus, comes fuit *Therae*, assumtis *Minyis*, in *Callisten* insulam coloniam deducenti; deinde *Aristotelem* seu *Battum*, qui cum colonis in agrum *Cyrenaicum* commigravit ibique sedem fixit.

Minyarum enim filii seu coloni, quum circiter 140 annos in *Lemno* habitassent a *Tyrrhenis Pelasgis* inde expulsi sunt. Illi autem 60 fere annis post bellum Trojanum a *Boeotis Aeolensibus Boeotia* ejecti [5]) in Atticam concesserant et regionem *Hymetto* subjectam assignatam acceperant, unde rursus exacti sunt, ut *Hecataeus* quidem refert, ob invidiam, quam ceperunt *Athenienses* ex ipsorum agri fertilitate; secundum *Athenienses* vero, quod et ipsorum filias e fonte *Enneacruno* aquam petituras frequenter stuprassent et contra remp. conjurassent [6]).

---

[1]) De Acesa regione Philoctetae ab Euneo donata v. p. 9.
[2]) 3, 543 — 45.
[3]) 1, p. 45.
[4]) 1, 1750.
[5]) Thuc. 1, 12, 5.
[6]) Herod. 61, 137.

Ita factum est, ut ex *Attica* in *Scyrum*, *Lemnum*, *Imbrum*, *Samothracen*, *Lesbum*, *Troadem* aliaque loca migrarent, *Larchero* computatore [1]), 47 annos sub *Hymettum* morati. Nec sine caede rem abiisse, auctor est Sch. ad *Luc. Catapl.* 1: *καὶ πολλοὶ μὲν αὐτῶν (Πελασγῶν) ἀπώλοντο ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων, ἄλλοι δὲ ἐκφυγόντες Λῆμνον καὶ Ἴμβρον ᾤκησαν.* *Minyae* vero relicta *Lemno Lacedaemonem* petierunt, et quum, auctore *Her.* [2]), in *Taygeto* monte consedissent, ibique ignes incendissent, a *Lacedaemoniis* per nuntium interrogati sunt, cujates esse dicerent. Comperto autem, esse eos *Argonautarum* progeniem, ob hanc potissimum causam, quod *Tyndaridae* una in *Argo* navigassent, a *Lacedaemoniis* in terrae civitatisque communionem vocati sunt. Ac deinde quae ipsis acciderint, de his consule *Her.* [3]), refutante tamen haec et mox antecedentia *Müll.* [4]); *Polyaenum* [5]), Schol. ad *Pind.* [6]), *Paus.* [7]), *Str.* [8]), quique alii ll. ll. ab interpretibus excitantur. *Pelasgi* autem, quod expulsi essent, ultionem ab *Atheniensibus* exacturi, narrante *Her.* [9]), 50 remorum navibus aliquot adornatis, Atheniensium mulieribus *Dianae Brauroniae* festum celebrantibus insidiati, earum multis vi domum abductis pro pellicibus utebantur. Ex quibus geniti consuetudinem cum *Pelasgidum* filiis habere nolentes, sibi omnes invicem

---

[1]) Ad Her. V. 7, pag. 251.
[2]) 4, 145.
[3]) 4, 146 sqq.
[4]) II. O. p. 313 sqq.
[5]) 7, 49.
[6]) P. 4, 88.
[7]) 7, 2, 2.
[8]) 8, p. 347.
[9]) 6, 138.

opem et ultionem praestabant. Quamobrem patres metu perculsi, ne *Atticarum* filii, qui nunc jam pueri in pueros hoc modo se gererent, adulti graviora etiam longe commissuri essent: in animum induxerunt necare eos, id quod perfecerunt dum matres simul interimunt. Atque vel hinc vel e priore illa caede commemorata derivant Lexicographi et Paroemiographi proverbia: *Λήμνιον κακὸν, Λήμνια, Λημνίᾳ χειρὶ* i. e. *ὠμῇ καὶ παρανόμῳ.* Utramque autem narrationem in unum conglutinatam exhibent Schol. *Eur.* [1]) et *Apost.* [2]) *Plut.* contra de virt. mul. [3]) narratione mirifice turbata tradit, raptis mulieribus natos, ut semibarbaros, ab *Atheniensibus* expulsos esse insulis. Qui quum ad *Taenarum* appulissent, *Lacedaemoniis* in bello *Helotico* utilem ipsos praebuisse operam ideoque civitatis et connubii participes factos esse. Quia autem in senatum et ad consilia non adhiberentur, suspicionem esse ortam, quasi novarum rerum moliendarum causa convenirent. Comprehensos igitur et in carcerem esse conjectos. At ipsorum uxores intromissae ad salutandos et compellandos permutatis vestibus salutem ipsis conciliarunt. Exinde *Tyrrheni Taygeta* occuparunt *Helotesque* ad defectionem suamque societatem pertraxerunt, qua re *Spartani* valde perterriti per internuntios pacem cum ipsis composuerunt ea conditione, ut receptis uxoribus, pecunia insuper navibusque instructi alibique agrum et urbem nacti, *Lacedaemoniorum* coloni cognatique haberentur. Hoc fecerunt *Pelasgi*, ac *Polli* duce et *Crataida* fratre *Lacedaemoniis* pars eorum in *Melo* sedem fixit, ple-

---

1) Hec. 870.
2) 11, 96.
3) T. 7, p. 16 ed Reisk.

rique autem cum *Polli* in *Cretam* navigarunt, oraculi exitum periclitaturi: ubi deam et ancoram amisissent, finem impositum iri erroribus ibique eis esse urbem condendam. Quumque ad locum *Cretae*, qui dicitur *Cherrhonesus*, appulissent, noctu panico terrore consternati, et Dianae simulacro, quod majores *Braurone Lemnium* advexerant, et ancora privati sunt, quo facto *Pollis* oraculum *Pythiae* exitum habere jam dicens, reverti jussit, occupavitque regionem post multas pugnas et *Lyctum* aliasque urbes sibi subjectas incoluit. Quem mythum undique conflatum adeoque conglomeratum esse, ut vix explicari possit, nemo non videt. Attamen de partibus, ex quibus compositus videatur, cf. *Müll.* [1]): hoc saltem liquet, *Herodoti* fidem non imminui contorta hac proculque dubio commenticia narratione. Pergit autem *Her.* [2]) ita: „Interfectis liberis ac mulieribus a *Pelasgis* quum neque ex terra fructus provenirent nec mulieres gregesque, ut antea, parerent, fame et liberorum inopia adducti *Pythiae* jussu *Athenas* se contulerunt, ut *Atheniensibus* delictorum omnium poenas penderent. Quo ubi venere, *Athenienses*, lectulo ipsis strato, quam optime poterant, mensaque apposita bonorum omnium plena, postularunt, ut terram sic comparatam ipsis traderent, id quod annuerunt *Pelasgi* se facturos, si Borea vento afflante navis eodem die ex *Atheniensium* ad suam terram pervenisset. *Sc. Attica* a *Lemno* multum versus Notum remota est. Sed quum 510 a. Chr. *Miltiades Cimonis* filius *Elaeunte Thraciae Chersonesi*, quam sub *Atheniensium* redegerat po-

---

1) H. O. p. 519.
2) c. 139.
3) Larch. in. can. chronol.

testatem, in *Lemnum* navi profectus esset, ipsis in memoriam reduxit pactionem illam, cujus exitum non fore unquam putaverant. Et *Hephaestienses* quidem obsequebantur, *Myrinaei* contra, quia id non largiebantur, *Chersonesum* esse *Atticam*, obsidione cingebantur, usque dum et ipsi se dederent. Haec *Herod.*, ad quae pertinet inprimis insigne fragmentum Chronicorum *Characis*, quod est ap. *Steph.* s. v. Ἡφαιςία: *Χάραξ δ᾽ ἐν δεκάτῳ χρονικῶν φησιν, ὅτι* (οἱ) *Μυριναῖοι τῶν Πελασγικῶν ὑποσχέσεων οὐ φροντίσαντες ἀπέκλεισαν τῷ Μιλτιάδῃ τὰς πύλας, κἀκεῖνος πολιορκίᾳ παρεςήσατο αὐτούς. Τῶν δ᾽ Ἡφαιςιέων τύραννος ὢν φοβηθεὶς τὴν δύναμιν ἔφη χαριζόμενος τοῖς* Ἀθηναίοις, *φίλοις οὖσιν, ἐμπεδοῦν τὰ ὁμολογηθέντα ὑπὸ τοῖν Πελασγῶν, καὶ ἀμαχεὶ παρέδωκε τὴν πόλιν.* Quod *Salmas.* pro: *κἀκεῖνος πολιορκίᾳ παρ. αὐτοὺς* mutaret in: *κ. τὴν πολιορκίαν π. αὐτοῖς*, omnino non erat, quum *παραςήσασθαι* sit nihil aliud nisi: effiicere, ut ad me aliquis transeat. Quam dictionem pluribus insuper comprobat exemplis *Valck.* ad h. l. Sed post: *τύραννος* et *φοβηθεὶς* excidisse aliqua, apparet, quia et illud participium: *ὢν* valde est molestum, praesertim quum alio statim participio excipiatur; tum ad verba: *τὴν δύναμιν Genit.* aliquis vehementer desideratur. Quare prorsus amplectenda est conjectura, quam laudat *Valck.* nescio cujus, deprehendentis in participio: *ὢν* vestigium veri nominis olim a *Charace* positi: Ἕρμων: id quod satis commendatur a *Zenob.* [1]) in: Ἑρμώνειος *χάρις* narrante haec: Ἕρμων *βασιλεύων τῶν Πελασγῶν ἐξέςη τῆς χώρας τῇ μὲν ἀληθείᾳ τοῦ Δαρείου τὴν δύναμιν φοβηθεὶς, προςποιησάμενος δὲ ἑκὼν διδόναι τοῖς* Ἀθηναίοις *τὴν χάριν, εἴρηται οὖν ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν*

---

[1]) 3, 85.

κατὰ ἀνάγκην τισὶ προςποιουμένων χαρίζεσθαι vel secundum *Apost.* [1]): *ἐπὶ τῶν κατὰ χάριν ἐκεῖνα διδόντων, ὧν ἀπαλλάττονται.* Unde facillime petitur et ipse *Gen.* post *δύναμιν* magnopere flagitatus. Cur vero *Darium* adeo metuerit *Hermon*, cognoscimus ex ejusdem l. verbis his: *Δαρείου τοῦ Πέρσου περὶ Θράκην ὄντος καὶ πάντα χειρουμένου τὰ πέριξ Μιλτιάδης Ἀθηναῖος ἐκ τῆς Χερσονήσου ἀφεὶς εἰς τὸ πέλαγος καταλαμβάνει τὴν Λῆμνον κ. τ. λ.* Ceterum etiam de reip. forma, qualis fuerit, *Pelasgis* insulam obtinentibus, efficitur ex his reliquiis, utramque insulae urbem sui ipsius fuisse juris; sed, id quod vult *Müll.* [2]), minus fuisse obnoxiam *Pelasgis Myrinam*, haud colligendum videtur e verbis: *οἱ Μυριναῖοι τῶν Πελασγικῶν ὑποσχεσέων οὐ φροντίσαντες* et: *Ἕρμων βασιλεύων τῶν Πελασγῶν*, quum mox etiam de tyranno *Hephaestiensium* dicatur: *ἔφη ἐμπεδοῦν τὰ ὁμολογηθέντα ὑπὸ τῶν Πελασγῶν*, nimirum quia ipsi longissimo temporis spatio remoti a *Pelasgis* primo *Lemno* potitis aptius *Lemnii* quam *Pelasgi* appellarentur; et ad illa: *Ἕ. βασιλεύων τῶν Πελασγῶν* quod attinet, hinc non sequitur, omnium *Pelasgorum* eum fuisse regem, sed videntur nihil aliud sibi velle nisi: *Pelasgicus* aliquis regulus. Id enim est parum probabile, *Minyas* in alienas terras confugituros fuisse, si *Myrinam*, sedem ipsorum principalem, tenerent. — Diversum ab *Herodoto* et *Charace*, quem *Zenob.* quoque reddidisse videtur, secutus auctorem *Nep.* in *Milt.* [3]) narrat: *Miltiades*, classe *Chersonesum* profectus, quum accessisset *Lemnum* et incolas ejus insulae sub potestatem redigere vellet *Atheniensium*, idque ut *Lemnii* sua sponte fa-

[1]) 9, 13.
[2]) H. O. p. 446.
[3]) 1, 2.

cerent postulasset, illos irridentes respondisse, tum id se facturos, quum ille domo navibus profectus vento Aquilone venisset *Lemnum.* Quod quum ille perfecisset, *Chersoneso Lemnum* revertens, incolae non dicto sed secunda fortuna adversariorum capti resistere ausi non sunt atque ex insula demigrarunt. Sed obstat quo minus his fidem habeamus cum inferior longe *Nepotis* auctoritas tum quod idem refert, *Cares* tunc insulam incoluisse, qua re vel maxime infringitur scriptoris, si quem secutus est *Nepos* hac in re, gravitas.

Rerum autem, dum *Pelasgi Lemnum* incolunt, ibi gestarum nihil legitur, quantum scio, praeter ea, quae refert *Her.* [1]), *Dario Hystaspis* filio regnante *Otanem* copiarum maritimarum praefectum, acceptis a *Lesbiis* navibus, *Lemnum* cum *Imbro* occupasse. Ac *Lemnios* quidem fortiter pugnasse et vim aliquam diu propellentes magnam hominum jacturam fecisse (ἐκακώθησαν). Superstitum vero praefectum a *Persis* constituum esse *Lycaretum, Maeandrii* Samiorum regis fratrem, qui dum hanc provinciam administrat, diem supremum obiit. Causas autem, cur et *Lemnum* et alia loca caperet, *Otanes* reddidisse fertur, tum quod frequens esset militantium adversus *Scythas* desertio, tum: vexari admodum *Darii* exercitum e *Scythia* revertentem. Tempus, quo id factum sit, accuratius *Larch.* [2]) designat annum 551 a. Ch.

Expulsis *Pelasgis*, *Lemnii* cum *Atheniensibus* eadem lingua iisdemque praeterea institutis utebantur [3]). Ac fidei quidem, quam *Lemniis* haberent

---

1) 5, 26, 27.

2) T. 7 in can. chron.

3) Thuc. 7, 57, 2.

Athenienses; insigne documentum legitur ap. *D. Sic.* [1]), pueros sc. obsides, quos *Samii* a *Pericle* sub *Atheniensium* imperium revocati dederant, esse *Lemniorum* custodiae permissos, unde tamen, eodem auctore, *Samii* eos rursus furto abduxerunt (441 a. Ch.). Socii *Atheniensium* fuerunt tam in bello Pelop. [2]) quam in expeditione Sicula [3]). Neque vero fuisse arctius aliquod vinculum inter *Athenas* et *Lemnum* quippe, ut videtur, post ejectos *Pelasgos* maxime ab *Atheniensibus* habitatam [4]), ex eo temere colligas, quod *Pollux* [5]) nuntiat, eos qui judicio se sistere detrectarent, iter in *Scyrum* vel *Lemnum* excusasse; cui addas *Hesychium* explicantem: Ἴμβριος καὶ Λήμνιος· οἱ τὰς διαίτας ἀποφεύγοντες ἐσκήπτοντο ἐν Λήμνῳ ἢ ἐν Ἴμβρῳ εἶναι. Unde *Suidas*: Λημνία δίκη· ἡ κακίση. Quae tergiversandi ratio inepta prorsus erat, si accuratiore quadam utriusque loci conjunctione fidei aliquem cumulum ei accessisse negamus. Translate quidem *Isaeus* Or. 6 [6]) de litigantibus morae causam aperte conquirentibus, Λημνίαν (ὁδὸν), inquit, σκηψάμενοι ταύτην ἀναβολὴν ἐποιήσαντο. Exeunte autem bello *Lemnum* quoque cum *Imbro* et *Scyro* *Atheniensibus* esse ereptam, discimus ex *Andocide* περὶ τῆς πρὸς Λακεδαιμονίους εἰρήνης [7]), ubi pacis conditiones a *Lacedaemoniis* nunc propositas cum iis, quas finito bello Pel. dixissent, comparat: Λῆμνον δὲ καὶ Ἴμβρον καὶ Σκῦρον τότε μὲν ἔχειν τοὺς ἔχον-

---

1) 12, 27.
2) Th. 3, 5, 1; 4, 28, 4; 5, 8, 2.
3) Th. 7, 57, 2.
4) Athen. 6; p. 254 F. 55, A. V. p. 52.
5) Onom. 8, 7, 81.
6) Bekk. Orr. Att. T. III p. 70.
7) T. I p. 137 ed. Bekk.

τας (γέγραπται), νῦν δὲ ἡμετέρας εἶναι (ἕξεσι) κ. τ. λ. Quae quidem insulae *Atheniensibus* etiam pace *Antalcidea* manebant [1]).

In bello sociali, quod *Athenis* erat cum *Co, Rhodo, Chio* insulis et *Byzantio*, *Lemnus* atque *Imbrus* vastatae sunt a *Chiis, Rhodiis, Byzantiis* eorumque sociis 356 a. *Ch.* [2]); eidemque bello probabiliter admodum *Gerh. Bekk.* in vernacula conversione *Demosthenis Philippicarum* [3]) assignat, quod ille de *Philippo* refert *κατὰ Φιλίππου Α.* [4]): *οὐχ ὥςπερ τὸν παρελθόντα χρόνον εἰς Λῆμνον καὶ Ἴμβρον ἐμβαλὼν αἰχμαλώτους πολίτας ἡμετέρους ᾤχετ' ἔχων.*

Post mortem *Alexandri Lemnii* stabant ab *Antigoni* partibus: quare 314 a. *Ch.* [5]) *Cassander Demetrium Phalereum* et *Dionysium Munychiae* praesidio praefectum jussit viginti naves in *Lemnum* mittere. Qui quum protinus navigia misissent, eorumque praefectum *Aristotelem*, hic ad *Lemnum* navigavit et evocato *Seleuco* cum classe *Lemniis* persuadere conabatur, ut ab *Antigono* deficerent. Sed quum non obsequerentur, ille agrum depopulabatur et urbem (nescimus utram) vallo circumdatam obsidet. Postea *Seleucus* in *Con* navigavit, *Dioscorides* vero constitutus ab *Antigono* classis praefectus appulit in *Lemnum* et *Aristotelem* expulit ex insula naviumque plerasque cum ipsis viris cepit.

Antigono ad *Ipsum* devicto *Lemnus* sub *Lysimachi* imperium ditionemque cecidisse videtur, quum secundum *Athenaeum* [6]), ut gratiam referrent *Seleuci*

---

[1]) Xen. Hist. Gr. 5, 1, 31.
[2]) Diod. 16, 21.
[3]) T. I, p. 80 sqq.
[4]) T. I, p. 46 ed. Bekk.
[5]) Diod. 19, 68.

et *Antiochi* posteris, quia *Seleucus* eos non solum a duro et acerbo *Lysimachi* dominatu liberarat, verum etiam urbem utramque ipsis reddiderat, qui *Lemnum* incolebant *Athenienses* et templa *Seleuco* exstruxissent atque *Antiocho* filio, et poculum, quod libandi causa affundebant, ubi ad epulas convenerunt, *Seleuci Servatoris* appellarent. Ex quo tempore utrum sui juris fuerint *Lemnii* an se rursus in *Atheniensium* potestatem receperint, ignoratur; hoc tamen accipimus a *Polyb.* [1]): *Atheniensibus*, postquam cum *Perseo* debellatum est, *Deli Lemnique* possessionem deposcentibus datam esse utramque insulam a senatu Romano (166 a. *Ch.*).

Paruit *Lemnus* postero tempore imperio *Byzantino*, sub quo [2]) *Lemnus* et *Imbrus Achajae* imperio fuit contributa, quae res, quum eae insulae ab Achaja longissime versus Thraciam sint semotae, quoniam dubia videri potest, *Wesselingius* e *Zosimo* [3]) notat, *M. Constantinum* instruxisse *Praefectum Praetorii Orientis* amplissima potestate et praeter *Asiaticam Ponticamque* dioecesin omnes illi *Orientis* provincias cum *Aegypto* et *Thraciarum* diocesi atque insulis *Cycladibus* mandasse δίχα Λήμνου καὶ Ἴμβρου καὶ Σαμοθράκης, quae *Praefecto Praet. Illyrici* imperio relictae sunt. Anno 903 occuparunt *Lemnum Agareni* et magnum hominum numerum in servitutem abripuerunt [4]). Latinis cum Chio, Rhodo reliquisque Aegaei maris insulis erepta est rursus a *Mich. Palaeologo* 1263. [5]) *Iohanne* VI re-

---

[1]) l. 30, c. 18.
[2]) Hierocles in Synecdemo p. 649 ed. Wess.
[3]) l. 2, c. 33.
[4]) Georg. Cedren. in historiarum Compendio p. 599.
[5]) Niceph. Greg. p. 599 B.

gnante (1440) per 27 dies obsidetur *Lemni* urbs *Cotzino* (*Cochino*?) a *Mehemete* Turca, sed frustra labore suscepto domum rediit [1]). Anno 1456 *Lemnii* male erga *Gateluzum*, qui praepositus erat insulae affecti a *Mahomete II.* petierunt, ut mitteret, qui *Lemni* principatum teneret. Qua re lubenter accepta jussit *Ismaelem* tunc *Callipolis* praesidem in *Lemnum* cum triremibus proficisci. *Lesbi* autem princeps quum et ipse misisset, qui fratrem secum abducerent, hostiliter se gerentes funduntur ab inincolis. Post triduum *Lemnum* appulit *Ismael Hamzamque* novum praefectum advexit. Insequente tamen anno triremes undecim a Papa *Callisto* missae, cujus classis praetor erat *Aquilejae* patriarcha, *Roma* advenernnt et *Catalanorum* aliorumque piratarum auxilio adjutae quadraginta simul insulam occuparunt [2]). *Venetorum* triremes appulerunt 1462 impulsu *Comneni*, qui arcem et antiquum oppidulum (τὴν πάλαι πολιχνίην?) in potestate sua habebat. Hunc deinde in *Isthmum* miserunt, ubi summa *Venetorum* exercitus versabatur; illoque consulente in *Lemnum* denuo navigarunt [3]). Anno 1474 insulam *Turcae* frustra obsederunt, in qua obsidione conspicua fuit insignis *Marullae* cujusdam fortitudo [4]), sed pacis conditione in *Turcarum* ditionem venit [5]). Iterum insulam occuparunt *Veneti* anno 1656, sed sequente anno ab hostibus post diuturnam obsidionem recuperata, in eorum potestate adhuc mansit [6]).

---

[1]) Laon. Chalcocond. 6, p. 161 C.
[2]) Duc. p. 190 sq.
[3]) Laon. 10, p. 301.
[4]) Vianoli dell' Historia Ven. T. 1, p. 724.
[5]) Idem p. 138.
[6]) Dapp. p. 245 e Porcachio.

RES SACRAE.

Qua poetarum, musicorum, pictorum aliorumque hominum, qui in artibus litterisve excolendis operam suam collocant, premi *Lemnum* inopia, haud inique censeas [1]): eam sacra Cabirorum ac reliquorum numinum, quorum illa erat sedes, peracta quasi explent atque compensant, adeo ut, quae hoc nomine antecellat *Lemno*, insula maris Aegaei inveniatur nulla. Ac primo quidem loco commemoranda est omniparens *Tellus* tum ob maximam hujus deae antiquitatem tum quia secundum *St. B.* v. *Λῆμνος, Hecataeo Εὐρώπῃ*, ut videtur, auctore, tradit, ab ea insulam nostram nomen accepisse, quum *Lemnus* quoque audiat: quo vocabulo, si fides habenda *Stephano*, *Welckerus* [2]) significari putat segetem (*λῆϊς*): sed fateor mihi hanc nominis derivandi rationem minus probari, quum neque alias usquam deae illa appellatio inveniatur neque etymon facile deprehendas ullum, unde tale quoddam ephitheton apte atque congrue duci possit, quare magis longe in hanc

---

[1]) Solus enim Glaucus invenitur statuarius Lemnius, quem unus St. B. commemorat v. *Αἰθάλη*, nuntians, praeclarum eum fuisse artificem. Scriptorem quidem de re rustica laudant Aristot. Polit. 1, 4 et Varro de R. R. 1, 1, 8 Apollodorum, sed praeter illud nihil de ipso compertum habemus. Neque vero est quod verba faciamus de utroque Philostrato quorum neuter vidit floridam illam Graeciae liberae aetatem, qua disciplinae aeque ac dominationis vinculorum impatientes, dum suum quisque sequitur ingenium, singuli, qui in medium prodierunt, peculiare quid prae se ferebant, unde magis minusve liceret de universae civitatis, cujus essent participes, forma et indole facere conjecturam.

[2]) p. 167.

sententiam inclino, *Hecataeum*, vel quemcunque alium secutus est *Stephanus*, quum in tanto derivandi pruritu, qui multorum veterum fuit haud minor quam recentiorum, alia via ipsi non pateret, eum ad extremum illud confugisse, quo magis viderentur summa *Telluris* vetustas et *Lemnus* ipsius sedes favere huic sententiae. Magnam enim Deam *Lemni* esse cultam, conjecturam facias e Schol. ad *Pind.* [1]), qui refert, *Medeam Corinthiis* fame afflictis malum removisse, *Telluri* et *Nymphis Lemnicis*, sociabus, puto, illius, operatam. Similiter *Ialysi Iunonis Nympharumque Telchiniarum* statuae videntur junctae fuisse [2]). Ad *Philoctetae* locum [3]) quod attinet, ubi Chorus *Tellurem* invocat testem, qua contumelia ad *Trojam Neoptolemum Atridae* affecerint, fortasse etiam ut huic terrae propria ideoque proxima videri possit adhiberi, sed obstant verba: *ἃ τὸν μέγαν Πακτωλὸν εὔχρυσον νέμεις*, quia si ad *Lemnium* quoque ipsius cultum respicere vellet poeta, postquam unam ejus sedem commemoravit, rem verbo certe tetigissset. Quod addit *Stephanus*, virgines ei esse immolatas, simile quid de *Marte Lemnio* refert *Fulgent.* s. *Nefrendes sues* [4]), qua de re v. infra.

Primo, quem sibi poscere videretur *Vulcanus*, loco ipsi erepto, non possumus quin alterum tamen tribuamus deo, quotquot in insula habebantur, longe omnium inclytissimo, cui *Lemnum* inprimis cordi fuisse legimus Od. 8, 284, ubi dicitur Ἡφαίστῳ *γαίαων πολὺ φιλτάτη ἁπασέων*, eidemqne deo sacra appellatur, quum *ἠγαθέης* epitheto videmus orna-

---

[1]) Ol. 13, 74.
[2]) Diod. 5, 55.
[3]) v. 391.
[4]) p. 170 ed. Munck.

tam; et *Dionysio P.* [1]) est κραναὸν πέδον Ἡφαίστοιο. Et *Cicero* [2]) tertio loco ponit *Lemnium Vulcanum* ex tertio *Iove* et *Iunone* natum. Iam vero cur deorum omnium *Vulcanum* maxime colerent *Lemnii*, res est notissima: nempe ob *Vulcaniam* insulae naturam, de qua cf. *Eust.* ad *Il.* [3]) Nihilo tamen secius, siquidem primos *Lemni* incolas fuisse *Thraces* statuimus, nec non *Herod.* fidem tribuimus [4]) narranti, a *Thracibus* hos tantum deos coli: *Martem*, *Bacchum* et *Dianam*; a regibus autem seorsum adorari *Mercurium*: *Vulcanus* non inde ab antiquissimo tempore, sed postquam aliunde, sive ex vicina continente *Asiae* sive e *Graecia* ipsius religio immigraverit, divinos in *Lemno* honores habuisse putandus est. Sed *Sintibus* insulam obtinentibus dei cultum eo esse illatum, satis, puto, arguit Il. l. l. Templi *Vulcano* constituti unius tantum mentio fit a *Galen.* [5]), unde comperimus, illud prope *Hephaestiam* colli, in quo terra *Lemnia* effodiebatur, adjacuisse; neque ab hac sententia nos depellere debet *Attii* l. l., in quo commemorantur „Volcania templa sub ipsis Collibus, in quos delatus locos Dicitur“ etc.; sed more poetico, id quod subsequens „Collibus“ satis confirmat, Pluralem posuit sive *Attius* sive *Aeschylus* quoque loco Singularis, unum in plures partes distribuens. De solemnibus, quae quotannis institui solebant ad ignis tanquam *Lemniadum* facinoribus polluti puritatem restituendam v. p. 36. Ceterum serioris videntur origi-

---

[1]) 522.

[2]) N. D. 3, 22, 55.

[3]) 1, 593, v. supra p. 16.

[4]) 5, 7.

[5]) de simp. med. l. 9 p. 247 ed. Chart.

nis, quum neque *Herod.* [1]) res *Lemniacas* pluribus persequens neque alius quisquam ante *Philostr.* eorum mentionem injiciat. Ad numos quod attinet, praeter *Goltzii* suspectos alium edidit *Arigon.*, in quo caput *Vulc.* ejusque attributa et epigraphe *ΛΗΜΝΟC*, additis insuper quatuor globulis. Sed tum globulorum tum epigraphes causa *Populoniae Etruriae* hunc numum assignat *Eckhel.* [2]) Alium III formae aereum, quem *Oderic.* [3]) edidit, in cujus adversa parte caput *Vulc.*, av.: *ἡφαιΣΤΙΕΩΝ* et fax erecta inter duas stellas, utrum *Lemniae* urbi an *Lyciae Hephaestio* tribuat, incertus est *Oder.* Sed fateor, vehementer me dubitare, an omnino unquam in *Lycia* exstiterit *Hephaestii* urbs, quippe cujus primus mentionem faciat *Plin.* [4]), quum *Scyl.* in *Lyciae* recensendis locis [5]) nonnisi fanum *Vulcani* in monte supra *Siderum* situm commemoret, qua in regione multus ignis terra editus ardeat sua sponte neque unquam exstinguatur. Quae optime conveniunt cum iis, quae l. l. *Plin.* refert de jugis *Hephaestii*, ut vult, civitatis. Denique *Sen.* [6]) *Lyciae* regionem appellat *Hephaestion*, „perforatum pluribus locis solum, quod sine ullo nascentium damno ignis innoxius circuit", *Solin.* quidem [7]) *Plinium* sequitur, etsi paulum immutato nomine *Hephaestiam* urbem nuncupans: sed neutrius auctoritas mihi sufficit ut credam, hujus urbis vel oppidi nomen omis-

---

[1]) 6, 138 sqq.
[2]) II, 2, p. 51.
[3]) Num. Gr. p. 5.
[4]) H. N. 5, 27, 28.
[5]) p. 39. ed. H.
[6]) ep. 79.
[7]) 52.

sum esse a *Scylace* regionem illam pluribus depingente. Longe vero facilius totus ille *Lyciae* tractus serius demum *Hephaestion* est appellatus. Itaque numum *Odericii* putaverim *Lemnium*. *Vulcanum* expressum esse in illo quoque numo *Hephaestiensi*, cujus *Eckhel.* [1]) affert caput virile diadematum cum ariete, adstituta nonnunquam lampade, censet *Welck.* [2]); neque id est veri dissimile, quum dei in insula principis, a quo ipsa urbs nomen traxerat, facile omitti posset vocabulum. Quod vero numis *Lemnicis* faces tribuit *Eckhel.*, id errore factum esse affirmat *Welck.* l. l., quum proprie candelabrum ardens in ipsis reperiatur; ac praeterea parum recte cum ipsis conferri numos *Athenienses*, ut efficiatur, *Lemni* quoque peracta esse *Vulcanalia*, quum in his duae faces lampadophoriam significent. Neque tamen improbabile dicit, postea, ubi sub *Atheniensium* imperium ditionemque venerunt, *Athenis* accita esse illa solemnia, praesertim quum palma in numo *Hephaestiensi* apud *Mionnet.* [3]) festorum ludos indicet. Sed magis longe rem confirmat numus *Hephaestiensis* apud *M.* l. l. numero quintus, in cujus av. parte vox *HΦA.* inclusa dicitur duabus facibus (entre 2 torches), quas in *Atheniensibus* repraesentari ad lampadophoriam significandam modo vidimus.

Charitem, quae antiquior videtur uxor *Vulcani* [4]) quamque *Hes.* [5]) *Aglaiam* vocat, ὁπλοτάτην Χαρίτων, *Thaliam* alii, teste *Eust.* ad Il. l. l., in

---

1) Doctr. N. T. II, p. 51.
2) p. 257.
3) Supp. p. 241, 1).
4) Il. XVIII, 382.
5) Theog. 945.

Lemno habitantem ponit *Luc.* [1]), ubi *Apollini,* qui fiat, percontanti, ne invideat *Gratiae Venus* et *Veneri Gratia,* quippe ob utriusque cum *Vulcano* connubium: *Mercurius* respondet: Ὅτι, ὦ Ἄπολλον, ἐκείνη μετ᾽ αὐτοῦ ἐν τῇ Λήμνῳ σύνεστιν, ἡ δ᾽ Ἀφροδίτη ἐν τῷ οὐρανῷ. At *Hom.* [2]) et *Charitem* et ipsam *Vulcani* officinam in coelo collocat. Rursus *Charitem* in *Lemno* ponit Sch. ad Il. [3]), qui cur *Iuno* in *Lemno* potissimum cum *Somno* gradum contulerit, tres has causas affert: vel quia dominus sit *Lemni Vulcanus*, uxor autem ejus *Charis*, cujus germanae *Pasitheae*, quae sc. sororis in contubernio viveret, amore depereuntem *Somnum* in insula desedisse [4]); vel quoniam *Lemnus* sit vini ferax et bene potis somnus facile obrepat, vel denique, quia *Philoctetes* ob dolores, ut ibi versaretur, petiisset ab *Somno*. Quarum altera et tertia ratio quam sit frivola, nemo non videt: prius contra remedium ad quaestionem illam absolvendam fateor mihi haudquaquam displicere, utpote cui quam maxime faveant vss. 267 sqq. c. 14: imo satis, puto, eo arguitur, alium esse auctorem cantus 14 atque illum, qui composuit cantum 18. Interpretationem *Vulcani* cum *Gratia* vel *Venere* conjunctionis *Eust.* ad Il. [5]) reddit haud ineptam hanc, venustatem ita significari operum arte et igne perfectorum.

Veneri quoque divinos in *Lemno* tributos esse honores, discimus per narrationem illam de *Lemniadum* scelere, quod ut committerent, prima ab omni-

---

[1]) Deor. Diall. 15.
[2]) Il. XVIII, 616.
[3]) XIV, 230.
[4]) v. 263 sqq. Nonn. 31, 113, sqq.
[5]) XVIII, 616.

bus fere perhibetur causa, quod sacra in deae honorem facere diu omisissent. Accuratius paulo definit ea Sch. ad *Eur.* [1]), dicens, quotannis a *Lemniis* mulieribus festum *Veneris* celebratum fuisse.

Genealogiae adhaerentes venimus ad *Cabiros Vulcano* natos, quorum vis atque cultus est tot tantisque difficultatibus intricatus, ut nisi essem egregium ducem nactus *Welckerum*, rem adeo abstrusam atque reconditam aggredi vix conarer. At nunc ad rem ipsam conversi si videmus, quis primus deos *Cabiros* omnino *Lemni* esse celebratos nobis sit auctor, haud superior quisquam invenitur *Pherecyde*, cujus apud *Strab.* [2]) leguntur haecce: *ἐκ δὲ Καβείρης τῆς Πρωτέως καὶ Ἡφαίϛου Καβείρους τρεῖς καὶ Νύμφας τρεῖς Καβειρίδας· ἑκατέροις δ' ἱερὰ γίνεϛθαι· μάλιϛα μὲν οὖν ἐν Λήμνῳ καὶ Ἴμβρῳ τοὺς Καβείρους τιμᾶσθαι συμβέβηκεν: ἀλλὰ καὶ ἐν Τροίᾳ κατὰ πόλεις* (quarum *Strabo* mox allegat *Corybantium Hamaxitiae* et *Corybissam Scepsiae* regionis). *τὰ δ' ὀνόματα αὐτῶν ἐϛι μυϛικά.* Eosdemque dicit *Acusilaus* l. l. etsi perperam, id quod deinde intelligetur, patrem eorum interponens *Camilum* seu *Mercurium*: *ἐκ Καβείρης καὶ Ἡφαίϛου Κάμιλον λέγει* (Ἀκουσίλαος)· *τοῦ δὲ τρεῖς Καβείρους, ὧν Νύμφας Καβειράδας.* Iam vero si hanc *Vulcaniam Cabirorum* stirpem conferas famae, qua ferri fabricandi antiquitus floruisse *Lemnios* omnia satis arguunt [3]), fit admodum probabile, igneam fuisse ipsorum vim et naturam idque non solum mere physicam illam atque simplicem, sed quae cum arte et scientia esset conjuncta, quam conjunctionem veteres belle expresserunt *Vulcani* et *Veneris* Gra-

---

[1]) Hec. 870, ed. M.

[2]) 10, 472.

[3]) Hellan. ed. Sturz. pp. 92, 142; Schol. V. ad Il. I, 594.

tiaeve conjugio. Unde apud *Phot.* in *L.* *Κάβειροι* explicantur Ἥφαιστοι ἢ Τιτᾶνες: quae altera vox fortasse nil nisi vetustissimos illos atque a vulgarium ordine alienos indicat. Hoc autem concesso, unde prius fluxerit *Cabirorum* notitia atque veneratio, quam ex *Asia minori*, prima artis ferrariae genetrice, de qua re egregie disputantem vide *Hoeckhium* in *Creta* sua [1]). Nec non eodem facit, sicuti et ipsum e *Cabirorum* ortu incolarumque ferri tractandi peritia fidei aliquem cumulum accipit, quod et apud *Paus.* [2]) eam, quam *Pergameni* incolunt terram, legimus *Cabiris* sacram fuisse perhiberi; et *Demetrius Scepsius* [3]) ipsorum nomen derivat a *Cabeiro* monte *Berecynthio*, quum tamen montem a diis malim ita appellatum; et *Athenion* apud Sch. [4]) diserte ait: *Κάβειροι δὲ δοκοῦσι προσηγορεῦσθαι ἀπὸ Καβείρων τῶν κατὰ Φρυγίαν ὀρῶν, ἐπεὶ ἐνθεῦτεν μετηνέχθησαν.* Quamobrem quin Trias illa *Idaeorum Dactylorum*, cujus mentionem facit *Phoronis*, carmen antiquissimum, quod *Welck.* [5]) assignat saeculo octavo vel septimo, ut epicorum fecundissimo tempori, ad *Lemnios* quoque *Cabiros* pertineat, dubitare vix licet. Sonant autem verba:

ἔνθα γόητες
Ἰδαῖοι Φρύγες ἄνδρες ὀρέστεροι οἰκί' ἔναιον,
Κέλμις, Δαμναμενεύς τε μέγας καὶ ὑπέρβιος Ἄκμων,
Εὐπάλαμοι θεράποντες ὀρείης Ἀδρηστείης,
Οἳ πρῶτοι τέχνην πολυμήτιος Ἡφαίστοιο
Εὗρον ἐν οὐρείῃσι νάπαις, ἰόεντα σίδηρον·
Ἐς πῦρ τ' ἤνεγκαν καὶ ἀριπρεπὲς ἔργον ἔδειξαν.

---

[1]) T. I, p. 260 sqq.
[2]) 1, 4, 6.
[3]) Strab. 10, 472.
[4]) I, 917.
[5]) p. 168.

Quae nomina *Welck.* [1]) interpretatur: *fusor* sive *ustrina* (κάω, κηλέω), *malleus* (δάμνημι, πανδαμάτωρ), *incus.* Ceterum arcana eorum vocabula haec non magis fuisse quam, ut volunt, Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος [2]), cui sententiae vel *Ἀξιόκερσα* femina plane repugnat: colligas tum ex *Pherecydis* silentio, tum quod solum instrumenta ad opus faciendum necessaria ipsis significantur, unde apparet, haec *Cabirorum* nomina esse antiquissimis usurpata temporibus, ita quidem ut usu a *Fetischismo*, quem vocant, non adeo alieno res maxime utiles ut ipsorum numinum symbola divino haberentur honore. Ad quod infimum deorum genus referri debent Italorum *Fornax, Terensis* aliique his similes, eodemque modo explicanda videtur appellatio *Καρκῖνοι* (forcipes), qua *Cabiros Lemni* nuncupari testis est *Hesych.* v. *Κάβειροι*. *Γόητες* (incantatores) vero, sicuti *Sinties* ab *Eratosthene* [3]), nominantur mera quadam, puto, vulgus superstitione, cui ingenio vel arte excellentissimimus quisque maxime obnoxius fieri solet. — Mysteria autem fuisse *Lemni* praeter *μυστικὰ Cabirorum* ὀνόματα, qualia nuntiat *Pherecydes* l. l., antiquissimum testimonium praebet locus ex *Attii Philocteta* [4]), quem ex *Aeschylea* fabula expressum omnia arguunt:

„Lemnia praesto
„Littora rava et celsa Cabirum
„Delubra tenes, mysteria queis
„Pristina castis concepta sacris

---

[1]) p. 169.
[2]) Schol. Ap. Rh. 1, 917.
[3]) Schol. V. ad Il. I. 594.
[4]) Herm. Opusc. T. II, p. 120.

„Nocturno aditu occulta coluntur
„Silvestribus sepibus densa“.

Unde ad extraneam cultus formam quod attinet, discimus *Cabirorum* templum vel templa (Pluralis enim *delubra* utrumque admittit) fuisse nemorum densitate obscura, quo scilicet naturae gravitas ac severitas augeret ipsorum mysteriorum religionem et reverentiam. Simul intelligitur, separata fuisse a *Vulcani* delubris, quae paulo post ab *Attio* commemorantur; totiusque regionis quae sequitur adumbratio eo facit, ut in parte Septentrionali Orientalis orae sita putemus. Castis vero concepta sacris non tam de remotis mulieribus, volente *Welck.* [1]), quam in universum de ipsorum sanctitate acceperim, quum etiam sejunctis feminis esse possent impudica, ac praeterea in vase Siculo *Cabirorum*, ut videtur, initia exhibente, quod deformandum curavit *Welck.* [2]), una in muliebrem figuram formata conspiciatur, id quod eo magis respiciendum, quia *concepta* id est *comperta*, *cognita* et ipsum initiationem mysteriorum significat. Porro de argumento, quod fuerit illorum solemnium arcanorum *Cic.* [3]) et *Samothracia* et *Lemnia* ea esse statuit, quibus explicatis ad rationemque revocatis rerum magis natura cognoscatur quam deorum: cui sententiae favet etiam numus in *Welck.* tabula sextus et vox χθόνιοι, quo supra ab *Philostrato* nuncupatos vidimus. Neque huic rei obstat, quod antea *Cabiros* artis ferrariae quasi antistites praedicavimus. Quum enim a principio mysteria illa nil essent nisi sacra quaedam privata unius fabrorum ordinis finibus inclusa, postea, ubi haec

---

[1]) p. 256.
[2]) p. 261.
[3]) N. D. 1, 4, 2.

ars una cum ceteris disciplinis et artibus magis in vulgus emanavit luxque philosophiae indies latius pervasit, mutata est instituti ratio a promtissimo quoque, et quibus in circulis prius cerimoniae tantum peragebantur vel ad artem pertinentia quaedam tradebantur, serius deorum vi atque potestati e rerum natura explicandae inserviebant. Simili modo mysticus ordo nostratium, qui se vocant liberos murarios, a certa quadam artificum classe profectus tempore interjecto a pristino consilio ad alia omnia deflexit. Addenda sunt, quae etsi non de *Lemno*, *Imbro* et *Trojanis* urbibus nominatim comperimus, nihilo tamen secius ad eas quoque referri docet *Welck.* [1]); mortem dico *Cabiricam*, cujus notitia per complures scriptores ecclesiasticos [2]) e *Thessalonicae* mysteriis ad nos pervenit: tertii fratris a duobus reliquis interemti caput purpura involutum in scuto aereo ad *Olympum* montem (hunc *Welck.* dici putat *Idae* aliquod culmen [3])) deferri sub ejusque radicibus sepeliri; cui *Cabiro* supplicari solere cruentis manibus. Et *Eusebius* quidem unius fratris morte et humatione commemoratis pergit: *Καβείρους δὲ τοὺς Κορύβαντας καλοῦντες καὶ τελετὴν Καβειρικὴν καταγγέλλουσιν· αὐτὼ γὰρ δὴ τούτω τὼ ἀδελφοκτόνω τὴν κίςην ἀνελομένω, ἐν ῇ τὸ τοῦ Διονύσου αἰδοῖον ἀπέκειτο, εἰς Τυῤῥηνίαν κατήγαγον, εὐκλεοῦς ἔμποροι φορτίου· κἀνταῦθα διετριβέτην φυγάδε ὄντε, τὴν πολυτίμητον εὐσεβείας διδασκαλίαν, αἰδοῖα καὶ κίςην θρησκεύειν παραθεμένω Τυῤῥηνοῖς κ. τ. λ.* Quae plene eo potis-

[1]) p. 250, sqq.

[2]) Clem. Alex. Protrept. p. 12, (16); Euseb. Pr. Ev. 2, 3; Arnob. 5, 19; Firmic. de Err. proff. rell. p. 15 Wower. (426 Gronov.).

[3]) cf. Str. 10, 470.

simum transscripsi, quod illud γὰρ post αὐτῷ mihi quidem e scriptoris consilio rationem indicare videtur, cur mysterium appelletur *Cabiricum*; falso autem putabat, originem sacrorum *Cabiricorum* deberi *Tyrrhenis*, quos *Pelasgos* rursus communi illo errore confudit cum *Italis*, quum mythus de transvectis *Bacchi*, quem ob similem traditionem cum *Cabiro* permiscuit auctor, genitalibus haud dubie non alio spectaret, quam ut similis quidam *Italorum* deus moriens demonstraretur idem, qui *Thessalonicae* celebrabatur. Ceterum subesse huic narrationi symbolici quid, absurdum sit diffiteri, ac facile piaculum illud augureris ad abstergenda hominum peccata oblatum, cujus symboli per ipsam canam antiquitatem late disseminati vestigia satis abdita et recondita *Welck.* indicare peculiari aliqua commentatione ut suscepit [1]), ita nondum fidem nobis exsolvit. — *Cabiro* dea a *Phoronide* non profertur, sed *Idaeae Adrasteae* tres *Cabiri* famulari narrantur, neque apud Schol. ad *P.* [2]) *Cabiro* cum Nymphis *Lemniadibus* a Medea invocatam legimus, sed *Tellurem* seu *Cererem*; quare, quum ne aliunde quidem quidquam de ipsa compertum habeamus, pronus sum qui putem eam ad id unum affictam, ut mater aliqua esset *Cabirorum*, sicuti et ipsum *Vulcanum* a pristinis *Trojanorum* sacris plane alienum *Cabiris* patrem addiderant, nimirum, sive antiquior esset ejus cultus sive posterior, respectu simillimae ipsorum naturae habito. Cur vero *Protei* filia nominetur, causam affert *Welck.* [3]) sociatam ignis et aquae in rerum natura efficientiam. De *Cabiris*

---

[1]) p. 251.
[2]) Ol. 13, 74.
[3]) p. 9.

autem filiis, quos memorat *Nonn.* [1]), *Alcone* et *Eurymedonte*, quantumque in his poeta *Lemnios et Samothracios* miscuerit, v. *Welck.* [2]) Neque aliter videtur res habere de *Cabiriribus* (*Pherec.*) vel *Cabiradibus* (*Acus.*), quarum neque fit mentio a *Phoronide*, nec facile poterat, quum ex primaria illorum numinum vi atque natura, qua erant artis ferrariae praesides, plane non intelligatur, quomodo ipsis socias addere licuerit. Quare inferiore demum aetate *Nymphis*, quibus singula fere loca gaudebant suis, quas ab Medea legimus imploratas, abusi videntur ad naturalem illum duorum elementorum connexum symbolice exprimendum: in quo consentaneum est, eos symmetriae legi obsecutos tres potissimum adjunxisse *Cabiridas*. Ita facilis quoque explicatu magna quae est in ipsarum origine repetenda diversitas: quum *Pherecydes*, cui tamen plurimum fidei tribuendum, eas *Vulcano* et *Cabiro*, *Acusilaus Cabiris* tribus ortas nuntiet. *Dactylorum* autem, *Telchinum*, *Curetum*, *Corybantum* turbis, quae nullo suo jure in alienas possessiones irruerant, a *Welck.* [3]) feliciter insula expulsis, quod tamen nolim ita dictum, ut non postea omnes illas religiones esse mixtas ac turbatas assentiar: haud relinquitur quidquam ad *Cabirorum* sacra respiciens praeter κοίην, κόην vel κοιόλην [4]), quem sacerdotem *Cabirorum* ait *Hesych.* caedis reos purgantem. Unde ne colligas, eum in *Samothraciae* potius quam *Lemni* mysteriis habuisse locum, quandoquidem in morte *Cabirica* supra enarrata videtur et ipsa latere ethici aliquid. —

---

1) 14, 19 sqq.
2) p. 203.
3) p. 174.
4) Lobeck. ad Phryn. p. 613.

Quibus omnibus satis perpensis speciosa admodum offertur ea, quam proponit *Welck.* [1]), nominis *Κάβειροι* vel *Κάβιροι* derivandi ratio, qua ducendum sit ab *κάειν* seu *καίειν*, ad quam confirmandam plurima ibi disputantem conferas. Ac me quidem ut in ejus sententiam concederem, moverunt praeter ipsius ingeniosam rei expositionem tum id quod in *Trojanorum* agro, unde petita videntur illa sacra, sermo fuerit *Graeco* simillimus, tum, quae res sane est levioris momenti, *Herodiani* auctoritas [2]), traditionem seu consuetudinem linguae (*τὴν παράδοσιν*) ferre diphtongum; mirandum, si radix esset *Hebraeorum* כַּבִּירִים (Cabbirim) vel חֲבֵרִים (Chaberim). *Κάβιροι* autem est Aeolica forma [3]). Qua vocis origine probata et ipsum *Coiae* nomen derivare a *κάειν* in promtu est. — Porro satis, puto, efficitur, alios fuisse *Cabiros Lemnios* atque *Samothraces*, quorum proprium ac primitivum dualismum pluribus ostendit *Welck.* [4]), quo accedit, quod maxime nautis quidem ac deinde omnino omnibus mala avertentes depinguntur, quum rei ferrariae in *Samothracia* appareat nec vola neque vestigium. Denique quomodo variis his numinibus nomen idem obtigerit, acute explicat *Welck.* [5]) vel hinc, quod illi quoque per flammam et stellam sese manifestarent, atque ita cum specie quadam veri possent iidem nominari; vel quod propter id ipsum domi jam acceptum nomen dii utrique *Dardani* statim e patria secum attulissent. Attamen serius, quo major deorum

---

[1]) p. 163, sqq.
[2]) L. Gud. v. *Κόβιροι.*
[3]) L. Gud. v. *Μάγειρος.*
[4]) p. 222 sqq.
[5]) p. 232.

foret et numerus et amplitudo, additos esse *Cabiris Lemniis Samothraces*, satis indicant *Dioscurorum* pilei, quos in numis *Lemnicis* et apud *Eckhel.* [1]) et in *Welck.* tabulae primo et secundo deprehendimus [2]).

Cabiris quem adjungamus, non est potior ullus *Mercurio* seu *Cadmilo* vel *Casmilo,* apud *Acusilaum* nescio an corrupte *Camilo*; quandoquidem hunc *Cabiris* diversimode sociatum invenimus, utpote quem *Acusilaus* l. l. patrem dicit illorum, *Dionysodoro* [3]) *Samothracibus* quartum ipsum additum referente; idemque *Lemni* quoque fuisse, satis proclive est creditu, siquidem popularem illum deum *Pelasgicum,* de quo *Tz. ad Lyc.* [4]): *Καδμῖλος, ὁ Ἑρμῆς Βοιωτικῶς,* postquam *Tyrrheni* insulam occuparunt, ibi inprimis cultum atque etiam in *Cabirorum* numerum receptum, fortasse adeo ipsi praepositum, quo facit indicium *Acusilai*; e victorum communi illo studio omnium ad sua instituta conformandorum facile suspiceris Atque illud quidem, cur *Mercurii* statuae arrectis effingantur virilibus, *Herod.* [5]) scire ait, *ὅςις τὰ Καβείρων ὄργια μεμύηται, τὰ Σαμοθρήικες ἐπιτελέουσι παραλαβόντες παρὰ Πελασγῶν.* Ex quo loco *Müll.* [6]) concludit, non ante *Pelasgorum* adventum *Samothraciae* (vel *Lemni*) fuisse mysteria; quum tamen unum hoc inde efficiatur, *Herodoti* aetate mysteria, quae a *Pelasgis* tradita acceperant incolae, in *Samothracia* esse celebrata, etsi vix tunc abolitis omnibus antiquae religionis vestigiis. De *Hermaeo*

---

[1]) T. II, p. 51.
[2]) Ceterum de Dioscuris v. Welck, inde a p. 222.
[3]) Schol. ad Ap. Rh. 1, 917.
[4]) 162.
[5]) 2, 51.
[6]) Orch. p. 439.

autem monte vel promontorio, quo fidei cumulus accedit conjecturae nostrae haud levis, v. p. 6.

Chrysen cognominatam *Minervam* in *Lemno* commemorant Schol. ad *Il.*[1]) et *Eust.* ad eundem l., cujus in ara *Graecis* indicanda eum a serpente ictum esse. Sed quominus fidem habeamus vel his vel *Dosiadae Rhodio* in *Ara aenigmatica priore* extr.[2]), ubi aram fingit loquentem:

Καθαρὸς γὰρ ἐγώ
Ἰὸν ἱέντων τεράων, οἷα κέκευθ᾽ ἐκεῖνος
Ἀμφὶ Νέαις Θρηικίαις, ὃν σχεδόθεν Μυρίνης
Σοί, Τριπάτωρ, πορφυρέου φὼρ ἀνέθηκε κριοῦ:

prohibet et *Sophoclis*[3]) et *Pausaniae*[4]) major longe auctoritas, secundum quos *Philoctetes* in *Chrysa* insula veneno serpentis in pede est contactus. Atque tantae illius discrepantiae de loco, quo sauciatus sit *Poeantiades*, indicando, in causa videtur fuisse, quod satis diu ante *Galenum* fluctibus oppressa fuerit insula: quare proxima quaeque circumspicientes, quo factum illud referrent, alii alias regiones in locum *Chryses* substituebant, nec defuit, qui heroem *Imbri* vel *Tenedi* morsum perhiberet[5]). Nostra igitur quum non intersit de *Chryse* sive *Nympha* sive dea plura facere verba, ablegatis, quicunque accuratius ipsam cognoscere velint ad *Welck.* de *Thiae* ratione disputantem[6]), ad aliam ejusdem *Minervae* appellationem, *Palladem* dico, transeamus, cujus caput visitur in quatuor numis apud M. in suppl.[7]), quorum

---

1) II, 722.
2) Anthol. ed. Br. T. I, p. 412.
3) Phil. 269 sq.
4) 8, 33, 2.
5) Eust. ad Il. II, 725.
6) Pind. ed. Boeckh. T. III, p. 511 sqq.
7) T. II, p. 541.

av. parti inscriptum est vel *ΗΦΑ.* vel *ΗΦΑΙ.*; et in uno *Myrinae* urbis, adstitula noctua tum in hoc tum in duobus *Hephaestiae* urbis. Cujus deae, utpote gentilis *Atheniensium*, venerationem hinc in *Lemnum* transiisse, ubi insula *Pelasgis* expulsis in illorum ditionem potestatemque pervenit, proclive est creditu, quandoquidem a propinqua *Aeolide* nomen illud valde abhorret. Statua autem aenea ipsius praeclara fuit in arce *Athenarum*, quod a *Lemniis* dedicata erat, *Lemnia* appellata, quam omnibus *Phidiae* operibus antecellere censet *Paus.* [1]).

Apollinis caput laureatum exhibent duo *Hephaestienses*, unus apud *Eckhel.*, alter apud M., cujus in av. parte legitur *ΗΦΑ.* inter duas faces, nec dubium est, quin eodem referri debeat *Hephaestiensis* numero sextus apud M., in cujus fronte conspicitur Solis caput radiatum. Et hujus quidem dei, utpote Aeoliornm praecipui, e vicina Aeolide immigrasse cultum, vero non est adeo absimile.

Dianam et ipsam fuisse e *Lemniorum* deorum numero, collegeris tum ex *Herod.* l. l. tum inde quod supra e *Plutarchi* quamquam perturbata admodum narratione [2]) comperimus, a *Pelasgis* ad locum *Cretae*, qui dicitur *Cherhonesus*, amissum esse *Dianae* simulacrum, quod majores *Braurone Lemnum* advexerant.

Bacchi cultum in insula exstitisse, arguit tot indiciorum concursus, ut hanc rem addubitare non liceat. Apud *Thraces* enim ipsius religionem fuisse, docet *Herod.* [3]) Deinde *Thoas*, *Hypsipyles* pater, genitorem habuisse fertur *Dionysum*, ex quo illum

---

[1]) 1, 28, 2, cf. Sieb. ad h. l.

[2]) T. 7, p. 16 sqq. ed. R.

[3]) 5, 7, cf. Diod. 3, 65.

concepit *Ariadne* [1]). Porro *Apollod.* [2]) alterum *Iasonis* filium vocat *Νεβροφόνον*, quod nomen facile duxeris a *Bacchico* cultu, quod cum ipse *Bacchus* tum *Bacchantes* pelles hinnulorum gestare solerent, quare deus cognominatur *νεβροχαρὴς* atque *νεβρώδης*. Denique *Eur. Hypsipylen* exordiebatur a *Bacchi* invocatione [3]). Ad quae omnia maximus accedit cumulus, quod supra cognovimus insulam vini fertilissimam.

Denique quem ex numero deorum, quos *Thraces* venerentur, primum laudat *Her.* 5, 7, *Martem* ne ipsum quidem neglectum esse ab *Lemniis*, discimus e *Fulgentio* s. *Nefrendes sues* [3]), ubi legimus: „*Diophantus Lacedaemonius*, qui de sacris deorum scripsit, ait apud *Athenas Marti* solere sacrificari sacrum, quod *ἑκατοφόνια* [4]) appellatur: si quis enim centum hostes interfecisset, *Marti* de homine sacrificabat apud insulam *Lemnum*, quod sacrificatum est a duobus, *Aristomene Gortynensi* et *Theoclo Elaeo*, sicut *Sosicrates* scribit". Neque res per se incredibilis: quum et in universum humanas victimas olim a Graecis esse sacrificatas, inter omnes constet, et Magnae Deae virgines ibi im-

---

[1]) Sch. ad Apollon. 3, 997, Nat. Com. 6, 13. Paris. quidem codicis Sch. ad Ap. pro: *Θόαντα* exhibet *Θάλητα*: sed corruptam hanc lectionem indicat tum, quod idem liber in mox antecedentibus scriptum habet *Διοσκούρου* pro *Διονύσου*, quum altera scholia et *Διονύσου* et *Θόαντα* praebeant, tum Diodori ac Statii auctoritates, quorum ille 5, 79. Thoantem cum aliis Minois ducibus Liberique filio Oenopione memorat; alter 5, 265, ubi Bacchus Thoanti opem pollicetur, hunc ab illo „nate" appellatum facit.

[2]) Fr. I.

[3]) p. 170 ed. Munck.

[4]) Paus. 4, 19, 2: *ἑκατομφόνια*.

molatas e *St. B.* v. *Λῆμνος* cognoscimus. Ultima autem: *quod sacrificatum est* etc., et ipsa ad *Lemnum* referri vetant cum res per se inconveniens, tum id quod apud *Paus.* l. l. *Iovi Ithomatae* operatum legimus *Aristomenem.*


Ile Caseno
Pointe Blova, Hermaeum Promontorium
Pointe de Palao castro
Palao-castro
Port de Bateaux
Golfe du Port Paradis
Port Paradis ou Bourgas
Rapanidi
Hermaeum Mons
Philoctetis domus
Chapelle Sacra
Ruines
Mosychlos collis
Prairies
EUBOEA
Calpac
Puits
Trouvato
Village
Mt. du Chateau
Hameau
Taligna
Cabanes
Faro
Herpagni
Cochino
Hephæstis
Douane
Port Cochino
Ruines d'une Forteresse
Chryse Promontorium
CHRYSE INSULA
Port
Castro ou le Chateau
Lemnos
Myrina
Mte de Therma
Therma
Pic de Kakavo
Kakavo
C. Blanc
St. Nicolas
Cap Negre
Moudros
Ile Verte
Port Saint Antoine
Port Plati
Platti
Sala
Port Sala
C. Trapano
Port Kondia
Mt. Saint Antoine
Carfos
Montagnes de l'Est
Aiguade
Cagita
Punta Durie
Pointe Stalau
Cap St. Nicolas
LEMNUS
descripta e Choiseulii
tabula geographica:
Bertuchii Ephemm:
geogr: V. 39.